MEMORABILIA
SOCIETATIS IESU

VOLUMEN II (1923-1926)

FASCICULUS I — ANNIS 1923-1924

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1926

PRAENOTANDA

Hoc primo secundi voluminis fasciculo simul eduntur " Memorabilia Societatis Iesu „ *annorum 1923-1924, ita tamen ut cuiusque anni acta in unum collecta et eodem ferme modo ac superioribus fasciculis distributa habeantur.*

Cum autem communes Societatis nuntii, qui a P. Secretario identidem ad omnes domos mittuntur, magno quidem cum Nostrorum omnium gaudio, ut nobis undique relatum est, accipiantur et legantur, sed dein facile huiusmodi folia dispersa pereant vel amittantur, ea omnia in " Memorabilibus „ iterum edere visum est ut eorum notitia ad posterorum quoque utilitatem servetur. Ne vero huiusmodi epistolarum collectio deficiens exsistat; quamquam primae P. Secretarii litterae ad annum 1922 referuntur, iis quoque hic locum tribuendum esse putavimus.

Eadem ratione brevi edentur etiam " Memorabilia „ anni 1925.

Longum est dicere cum tam sero haec " Memorabilia „ in lucem prodeant: hoc unum vobis persuasum sit, non editorum incuriae, sed potissimum otii hominumque penuriae id esse tribuendum.

Romae, 16 iulii 1926.

TABULA RERUM

MEMORABILIA ANNI 1924

MEMORABILIA

ANNI 1923

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII (1)

I.

Reverendi Patres Fratresque in Xto. carissimi :

P. Xti.

Cum non paucis litteris in Curiam allatis apparuisset Societati iucundos esse breves nuntios qui in secunda parte *Memorabilium Societatis Iesu* exhiberi solent, verum id plerosque dolere quod ex ipsa annalium natura tardius referuntur, visum est huic incommodo remedium afferre instaurando primae Societatis more, quo P. Polanco eiusque in munere Secretarii successores sociis in omnes fere orbis partes dispersis simplicis epistolae familiari sermone narrare consueverant, quae in Urbe, quae in Provinciis ad Dei gloriam magis promovendam praestare Nostris contigisset, quae iis sive secunda sive adversa accidissent, ea denique omnia quae de domo paterna novisse fratrem longe remotum delectarent. Ideo Pater Noster mihi commendavit ut, non quidem statis temporibus, sed quoties factorum copia id permittere vel eorum momentum id exigere videretur, de iis Societatis rebus referrem, quas scire omnibus Societatis filiis utile erit et delectabile.

Si quid praeterea ex iis quae hic nuntiamus accipiendum videbitur in pagellas quas plurimae Provinciae et Missiones pro Nostris edunt, id sane fieri poterit.

1. – Nemo certo mirabitur, quod initium huius epistolae ab eo sumimus cuius obitum praecipua ratione Societas flevit. Promiserat Benedictus XV p. m. Patri Generali, cum eum ad ultimum alloquium admisisset se litteras de Spiritualibus Exercitiis daturum voluntatemque alias gratias Societati hoc anno iubilaei concedendi

(1 Vide in *Praenotandis* cur hic referantur etiam *nuntii* anni 1922.

significaverat. Cum morti proximus per suum confessarium, P. Alexandrum Basile (Prov. Rom.), certior factus esset de dono 8000 Missarum a Patre Nostro oblato, hoc grati animi atque amoris filialis documentum libenter acceptavit et paterno affectu Praeposito Generali atque universae Societati ultimam benedictionem impertivit (1). Qua quidem id confirmavit, quod tota vita manifestare nunquam dubitaverat, quanti Societatem faceret atque aestimaret, non iam hunc vel illum Patrem, sed ipsum Institutum nostrum, quod proinde a nobis quam fidelissime observatum semper voluit.

Merito igitur Societas tota tanti fautoris mortem luxit et, suffragiis praescriptis non contenta, alias preces funeraliumque sollemnia adiecit. Romae in templo Farnesiano *(al Gesù)* iusta sollemnia incredibili fidelium concursu singularique omnium pietate die dominica 29 ianuarii persolvit. Aderat Curia, aderat Praepositus Provinciae Romanae, omnes Patres Fratresque hoc tempore liberi, aderant Pontificiae Universitatis Gregorianae et Collegiorum nostrorum urbanorum alumni, omniumque operum nostrorum saltem aliquot socii; ipsa Consociatio Catholica Dioeceseos Romanae petiverat, ut una nobiscum funeralia Summo Pontifici celebrare sibi liceret. Post Missam de Requie, ex speciali S. Congregationis indulto die dominica celebrata, ante absolutionem ad tumulum P. Iosephus Massaruti, in Collegio " Massimo „ magister, encomium dixit defuncti Pontificis et ex eius in laborando pro Dei gloria assiduitate atque ad mortem usque constantia utilissimum omnibus deduxit documentum.

2. – Vix e vivis sublato Benedicto XV, ephemerides liberales, qui illarum est inveteratus mos, de novi Pontificis electione calumniosas machinationes conflare, eisque solito ardentius populum concitare coeperunt, nominatim in Societatem et P. Generalem *(il Papa nero)*, qui scilicet talibus insidiis non obnoxii esse non poterant.

Igitur Pater Noster qui iam a longo tempore aliquibus laboribus ultimam manum tranquilla mente admovere desiderabat, re cum PP. Assistentibus collata, Roma per id tempus cedere et Neapolim proficisci constituit; quo simul obtinebat ut vel le-

(1) Cfr. *Mem. S. I.*, I (1921), p. 458.

vissimam cuiusvis facti umbram, quod sinistrae interpretationi verti potuisset, longius arceret.

Sed ecce pridie quam itineri se committeret a liberalis cuiusdam ephemeridis redactore convenitur eumque, contra consuetudinem colloquia talium hominum *(interview)* studiose declinandi, admittere ob peculiaria adiuncta cogitur. Quod tamen non sine providentis Dei speciali consilio accidisse videtur. Sequenti enim die folium illud, quod primum calumnias contra nos sparserat, una cum imagine Patris Nostri longum inserebat commentarium, cui titulus principi loco magnisque litteris: " *La Compagnia di Gesù non si occupa del Conclave* ,, *dice il Papa Nero. Un'intervista col Generale dei Gesuiti.* Et quamquam narratio, ut accidere solet, etiam errores continebat, ea nihilominus sinceritate phantasticas confabulationes verbis et argumentis Patris Nostri diluebat, ut omnium rumorum qui contra Societatem circumferebantur falsitatem proderet. Certe ab illo die bellum in nos indictum penitus cessavit.

3. – Luctum de inopinato Benedicti XV decessu lenivit electio Em. Card. Achillis Ratti, Archiepiscopi Mediolanensis. In communi omnium gentium de hoc faustissimo eventu laetitia nobis etiam quam plurimae rationes gaudendi sunt. Universitas Gregoriana novum Pontificem summa cum reverentia suum alumnum salutat, cum Pius XI die 9 iunii 1882 in eadem Iuris laurea decoratus sit. Semper postea Societatis amicum atque fautorem se praestitit.

RR. DD. Ratti, in praefectura Bibliothecae Vaticanae P. Francisci Ehrle successor, familiarissime Nostris utebatur; Nuntius in Polonia ibi quoque Patribus Societatis amantissimum se praestitit. Cum ad Conclave in Urbem venisset Patrem Generalem visitare voluit, ut ob concionatorem quadragesimalem instantibus suis precibus ante aliquot demum hebdomadas concessum gratias ageret. Idem Eminentissimus Patres Instituti Biblici et *Civiltà Cattolica* invisere et consueta humanitate alloqui dignatus est.

Post electionem Pius XI Em. Cardinalem Billot ad se accedentem rogavit ut Patri Nostro diceret se Patri Generali et Societati benedicere eiusque precibus se enixe commendare; idem ter Em. Cardinali repetivit. PP. Francisco Ehrle et Ladislao Szczepanski Summus Pontifex misit tesseras quibus accessus

concederetur in locum illum ubi familiares Pontificis coronationis sollemnibus aderant.

Maximo autem gaudio affecit omnium Nostrorum animos summa benevolentia qua SS. DD. Patrem Nostrum iam die 19 februarii ad se admisit atque recepit. Pater Generalis obsequium et venerationem Summo Pontifici nomine totius Societatis praestitit obtulitque 10.000 Missarum; quam ille oblationem manifesto gaudio acceptavit dicens orationes omnium donorum sane esse optimum. Votum deinde nostrum de Missionibus secundum Constitutiones suscipiendis cum audivit, dixit notitiam se iam de tali voto habere, quod esset Societati summi meriti, Sanctae Sedi autem maximae consolationis, laudavitque integritatem vitae atque doctrinae puritatem qua Societas excelleret.

Cum Pater Generalis traderet editionem criticam Exercitiorum Spiritualium a Patribus *Monumentorum Hist. Soc. Iesu* anno 1919 perfectam et phototypicam reproductionem manuscripti Exercitiorum, quod originale appellare consuevimus, historiamque codicis paucis indicans significaret, licet originalis vocetur, scripturam non esse ipsius S. Ignatii, sed amanuensis cuiusdam, Summus Pontifex, qui librum interea evolvebat, modeste, ut solet vir eruditissimus, subridens respondit se hoc statim percepisse et locum tetigit ubi manus S. Parentis apparet; oblata autem sibi volumina cum ea delectatione accepit et intima rerum notitia quae subito proderent virum per plurimos annos in rebus historicis versatissimum.

Tunc Patri Nostro in editione critica Exercitiorum locos monstranti ubi adducitur commentatio *San Carlo e gli Esercizi spirituali di Sant'Ignazio* quam praefectus bibliothecae Ambrosianae ediderat anno 1910 in periodico *San Carlo Borromeo nel terzo centenario della canonizzazione*, benigne respondit Se toto animo (" di tutto cuore ") id scripsisse et promisit Se litteras de Exercitiis Spiritualibus intra hunc annum saecularem esse daturum (1). Conspectum universae Societatis eiusque Missionum ineunte anno 1922 cum gaudio vidit et de Societatis augmento laetatus est. Sermo deinde incidit in causam Ven. Roberti Bellarmino, de cuius miraculis in consessu S. Congregationis die 4 aprilis habendo disceptabitur, eique libenter ultroque favorem suum est pollicitus, indicans simul aliam etiam causam, quae

(1) Cfr. *Act. Rom.*, III (1922), pp. 404 sqq.

sibi maxime cordi esset, amici sui Contardi Ferrini, in Universitate Papiensi (Pavia) olim iuris romani doctoris eximii atque integerrimi.

Item Summus Pontifex significavit sibi probari conventum Congregationum B. M. V. tempore Congressus Eucharistici habendum, qui universali Congressui earundem Congregationum post paucos annos celebrando viam sterneret. Hic notare iuvat recenter Electum, eo tempore quo puer in Seminario mediolanensi ad S. Petrum educabatur, Congregationi B. M. V. nomen dedisse et postea praefuisse duabus Congregationibus Marianis uni per 20, alteri per 32 annos.

Post tres fere quadrantes denique Summus Pontifex Patrem Generalem cum sua benedictione pro ipso et universa Societate summopere consolatum dimisit.

In honorem novi Pontificis Institutum Biblicum prima dominica Quadragesimae celebravit academiam, cui interfuerunt 8 Cardinales, 2 Patriarchae, complures Episcopi, Legatus gubernii anglici apud S. Sedem et tot utriusque cleri viri ut aula multitudinem capere non posset.

His laetis nuntiis alia quaedam adiungo.

4. - P. Franciscus de Lassberg (Prov. Germ. Sup.), Visitator Provinciae Hungariae nominatus, Patrem Nostrum convenit et ineunte martio ad visitandam Provinciam illam profectus est. Aliae Provinciae, quarum modo Visitatio fit, sunt hae: Germaniae Superioris, P. Ev. Beukers (Neerl.); Lugdunensis, P. Aem. Thibaut (Belg.); Hiberniae P. Gul. Power (Neo Aurel.); Californiae, P. Norb. de Boynes (Franc.); praeterea tres Missiones Brasilienses, P. Marcel. Renaud (Mex.), et P. Ios. Hoeberechts (Neerl., Superior Missionis Iavensis) Missiones Sinenses in territorio pristinae Missionis Kiangnan sitas visitat (1).

Die 7 feb. recepimus P. Augustum Bulot (Prov. Lugd.), qui inspectis Studiis superioribus nostris in Hispania (Oña, Comillas, Granada, Sarriá) et in Collegio Cheriensi (Prov. Taurin.), Neapolim se contulit et inde in Urbem reversus iter suscepit in septentriones ut Collegia Valkenburgense, Cracoviense, Oenipontanum inspiceret (2).

(1) Cfr. *Mem. S. I.*, I (1922), p. 674.
(2) Cfr. *Mem. S. I.*, I (1922), p. 675.

5. – P. Petrus Viganò (Prov. Venetae), olim Episcopus Hyderabadensis, postea in Societatem ingressus ut leprosorum curae se dedicaret, benedictione Pii XI, qui una cum eo mediolanenses scholas frequentaverat, recreatus, die 13 februarii hospes in Curia pia morte defunctus est (1).

6. – Ut festa tertia saecularia a canonizatione SS. Ignatii et Francisci Xaverii digne et cum utilitate spirituali Romae celebrarentur, consilium est constitutum ex Romanis et Hispanis in Urbe commorantibus, cui praesunt Princeps Aloisius Barberini et Princeps Franciscus Boncompagni Ludovisi: hic ex familia Gregorii XV (Ludovisi) qui canonizationem peregit, ille ex Urbani VIII gente, qui Bullam edidit. Accedunt inter alios Marchio di Villasinda, Regis hispani legatus apud S. Sedem, senatores regni italici, deputati.

Edentur pagella commemorativa centenarii, compendia vitae S. Ignatii et S. Xaverii, fasciculus historiam cononizationis explicans.

Festa religiosa in templo nostro *il Gesù* fient haec:

1) Novena gratiarum ante 12 martii et hoc ipso die solemnis functio.

2) 21–23 aprilis instituetur triduum in honorem Sanctorum ea ratione qua Romae huiusmodi tridua celebrari solent. Concionem habebunt Pater quidam ex Ordine S. Francisci, altero die ex Ordine S. Dominici, tertio Em. Card. Laurenti, qui mense novembri quoque in honorem S. Ioannis Berchmans dicere dignatus omnium animos commovit.

3) Novena ante festum S. P. Ignatii.

4) Sollemnis praeparatio ante festum S. Xaverii, ad quam omnes ordines, congregationes, consociationes missionum invitabuntur.

Ut etiam loca S. Ignatii praesentia consecrata ad festa iubilaria ornarentur, scalae ampliores ad cubicula S. Ignatii ducentes, quarum usum P. Tacchi Venturi non ita pridem a gubernio nobis obtinuit, ex liberali dono Congregationum quarumdam Insulae Cubanae marmore vestitae sunt.

Praeterea tempore quadragesimali et post Pascha et mensi-

(1) Cfr. *Mem. S. I.*, I (1922), p. 622.

bus novembri atque decembri in Collegio " Massimo „ publicae conferentiae fient a viris eruditis de apostolatu utriusque Sancti.

Imprimis vero consilium est in memoriam horum saecularium festorum Domum Exercitiorum in Urbe erigere, cuius primus lapis hoc anno, ut spes est, ponetur.

7. – In Hispania quoque, praesertim in Navarra, splendida parant festa in honorem S. Ignatii et S. Francisci Xaverii. Huius provinciae Deputatio quam vocant (consilium provinciale) litteris supplicibus petiverat ut S. Xaverii brachium quod in romano templo Societatis principe colitur, ad festa tertia saecularia in Hispaniam mitteretur. Em. Card. Benlloch, cui missiones inter infideles maxime cordi sunt, cum ad Conclave in Urbe adesset, idem votum Patri Generali deprompsit et multis verbis amore erga Sanctum et Societatem plenis exposuit: ipsos velle per omnes patriae partes sanctum brachium portare ut quod tot milia hominum aquis salutis abluit iisque portam aeternae beatitudinis aperuit, totam gentem hispanicam novo accenderet studio erga missiones exteras. Quibus precibus permotus et fructum magnum percipiens qui ex hac re oriri posset, Pater Noster obsecutus est eminentissimo Principi, cui Summus Pontifex iam antea permiserat ut, assentientibus Superioribus Societatis, reliquia ad tempus ex Urbe deportaretur. Sub finem igitur mensis aprilis sancta reliquia in Hispaniam feretur ibique usque ad mensem novembrem relinquetur.

8. – De Conventu Congregationum B. M. V., qui una cum Congressu Eucharistico mense maio in Urbe celebrabitur, id scire vestrum omnium interesse puto consilium esse exhibendi omnia quae de Congregationibus Marianis tractant libri et scripta simul collecta, in quantum res et Nostrorum industria id permittent.

9. – Universitas Milwaukiensis (Prov. Missour.) hoc anno 4050 auditores habet quamquam in eodem statu (Wisconsin) altera Universitas est a Gubernio sustentata (in urbe Madison) cuius numerus discipulorum 8 % tantum crevit, cum in nostra 18 % auctus sit. Item ex omnibus fere Collegiis Societatis nuntiatur numerum eorum qui ut admittantur petunt, continenter augeri. Quare ne solidae puerorum institutioni noceretur neve Nostrorum vires frangerentur, nonnullae Provinciae alumnorum nume-

rum augere vetitae sunt, immo etiam minuere iussae. Sic etiam tempus magisterii Scholasticorum contrahi poterit, quod Societati sane maximi momenti est.

10. – Finem tandem his litteris impono commemorans laetum atque extraordinarium incrementum, quo Divina Bonitas anno superiore nos donavit. Ex catalogis enim allatis apparet anno 1921 socios 432 accrevisse ita ut omnes simus 17972 (8772 sacerdotes); antiqua Societas eundem fere numerum anno 1679 attigit: 17655 socii tunc fuerunt (7870 sacerdotes). Numerus maximus Societatis antiquae quem novimus erat anni 1749: 22589 socii. In missionibus inter ethnicos nunc 1885 Nostri laborant.

Atque haec erant quae in praesentia vobiscum potissimum communicanda habebam.

Utinam novum et magis frequens litterarum et nuntiorum commercium quod desideria et exempla SS. Ignatii et Xaverii secuti, hoc illorum iubilari anno aggredimur, ad " mutuam illam consolationem et aedificationem „ conferat, qua allecti tantorum Patrum vestigia in maiore Dei gloria ubique propaganda alacrius persequamur.

Commendo me ss. SS. et OO.

Romae, die tertio saeculari canonizationis SS. P. Ignatii et Francisci Xaverii, 12 martii 1922.

Vestrum omnium servus in Xto.

Henricus Carvajal

Secr. Soc. Iesu.

II.

Reverendi Patres Fratresque in Xto. carissimi :

P. Xti.

Nonnulla his mensibus contigerunt, quae scire vobis gratum erit, ita ut iam tempus sit resumendi nuntios nostros romanos, ne iis quae in superiore epistola promisi deesse videar.

1. – Primum quidem de honoribus SS. Parentibus nostris tributis. Cum die 12 martii memoria saecularis tertia recurreret canonizationis SS. Ignatii, Francisci Xaverii, Philippi Nerii, Isidori, Teresiae, Summus Pontifex pro sua benevolentia indulsit ut ad altare, ipsi in basilica vaticana reservatum, ab Em. Card. Raphaele Merry del Val, basilicae archipresbytero, s. Sacrificium sollemni ritu offerretur. Eadem Missa decantata fuit atque in ipso die canonizationis ante tria saecula. Aderant undecim Cardinales, multi Legati apud S. Sedem, plurimi Generales Ordinum, tam frequens fidelium multitudo, ut haec sacra, etsi canonizationum splendorem et maiestatem non pertingerent, eas tamen in mentem revocarent atque pietate et religione assistentium facile superarent.

Praeterea in honorem S. P. N. Ignatii et S. Francisci Xaverii triduum celebratum est mense aprili a die 21 usque ad 23. Templum SS. Nominis lucis fulgoribus et omne genus ornamentis resplendebat; Cardinales, Episcopi, Generales Ordinum, multi Praelati, plurimi utriusque cleri viri adventarunt ut Missam legerent: 210 Sacrificia inter hos tres dies oblata sunt. Omnis sacerdos qui Missam celebravit, dono accepit librum historiam utriusque Sancti continentem et pulchris imaginibus splendide ornatum. Ultimo die, in quem incidit Dominica in Albis, Em. Card. Basilius Pompilj, Vicarius Generalis Suae Sanctitatis, Missam sollemnem cantavit, cui Pater Generalis cum PP. Assistentibus et omnibus Curiae Patribus adstiterunt; illi pluvialibus, hi casulis induti. Conciones panegyricas habuerunt, primo die R. P. Diani O. F. M. de S. Francisco Xaverio; secundo die R. P. Pius Ciuti O. P. de S.Ignatio, denique Em. Card. Camillus Laurenti de ambobus simul Sanctis.

Aedes vastissima audientibus ita stipata erat, ut populus in plateam continenter redundaret. Trinam benedictionem cum Sanctissimo impertivit Em. Card. Vincentius Vannutelli, Sacri Collegii Decanus.

Cum longum sit omnia vel saltem praecipua narrare quae e plurimis Societatis domibus Romam relata sunt de piis canonizationis nostrorum Sanctorum commemorationibus, plurima omittere coacti, haec tantum afferimus: Matriti cum sollemnitas splendida ageretur in honorem SS. Ignatii, Francisci Xaverii, Isidori, Teresiae, in hortis quos *del Buen Retiro* vocant, 22.000 puerorum s. Communionem receperunt; in templo vero Collegii Washingtoniensis die 12 martii 4500 fideles ad s. mensam accesserunt.

2. – Die 24 martii vesperi multi Sodales B. Mariae Virginis, ex tota Catalaunia collecti, ducibus Episcopis Barcinonensi et Vicensi, una cum Praeposito Provinciae Aragoniae Barcinone profecti sunt in Montserrat, ut in celeberrimo Matris Dei sanctuario memoriam recolerent illius vigiliae, qua S. Ignatius eadem nocte (24–25 martii) anni 1522 divinae Maiestatis servitio se mancipavit. Secum portarunt gladium, quod ante quattuor saecula sanctus vir ad altare Dominae Nostrae filiali pietate suspenderat quodque nunc in barcinonensi templo Societatis asservatur. A Patribus Benedictinis splendide recepti, noctem transegerunt in templo coram Sanctissimo exposito.

Post concionem in honorem S. Ignatii RR. Abbas Missam sollemnem celebravit, inter quam fere omnes qui aderant (1500 homines), ad sacram mensam accesserunt. Proximo die pii peregrini Manresam profecti sunt quo alii plurimi Sodales Barcinone advenerunt: simul omnes s. Communionem receperunt et postea aedes locaque S. Ignatii orationibus, paenitentiis, miraculis sacra pie visitarunt. Vesperi congressus Congregationum Marianarum est habitus et, novo amore atque devotione erga caeli Reginam et S. Ignatium aucti, boni iuvenes felices et laeti ad suos redierunt.

Nec solum Montserrati, in compluribus etiam nostris Hispaniae domibus et Collegiis piae illius vigiliae memoria acta est, veneratione nocturna SS. Sacramenti et Missa ex singulari S. Sedis indulto ipsa media nocte sollemni ritu celebrata.

Cum de honoribus S. P. Ignatio tributis narramus, profecto convenit commemorare aliqua, quae ad promovendum opus eius maxime proprium, Exercitia Spiritualia dico, spectant.

Societati hisce mensibus quattuor domus Exercitiorum accre-

verunt: una in Provincia Hibernica (Rathfarnham); cum antea non pauca impedimenta tali incepto obstare viderentur, nunc tam felici successu tamque uberi fructu spirituali opus procedit, ut Nostris summae sit consolationi. Altera in Prov. Missouriana (White House) non longe ab urbe S. Ludovici distat; aedificio, quale nunc est, 15-20 homines recipi possunt, cum vero amplificatum fuerit, 50 locum praebebit. Sed abiecta omni cunctatione statim die 20 aprilis dominis laicis Exercitia dari coepta sunt. Tot alii deinceps ut ad sacrum secessum admitterentur petierunt, ut iam 16 cursus in proximos menses praenotati sint. Reliquae duae domus sunt in Italia: Provincia Veneta in rure Triuggio ad Mediolanum aptissimam domum acquisivit, cuius fastigium Summus Pontifex ipse statua SS. Cordis ornavit et ad quam benedicendam Legatum mittere dignatus est, non obscure significans quanti hoc opus, Societatis proprium, faceret quantumque sibi cordi esset. Nunc ipsum Exercitia dare ibi incipiunt; omnibus porro operibus completis, tanta erit domus, ut sacerdotes, viri exculti, opifices, alii ab aliis plene separati, uno eodemque tempore secessum peragere possint. In extrema fere Sicilia meridiem versus, Episcopus Netensis Societati usum concessit tam amplae domus, quae simul Exercitiis dandis et Seminario Parvo Provinciae Siculae inserviat. Cum Episcopus nuper Summum Pontificem adiret, hic eum interrogavit, qui religiosi in dioecesi illa laborarent. Respondenti autem brevi Patres Societatis adventuros, Pius XI laetus gratulatus est, ut Episcopus ipse Patri Generali narravit.

In Italia opus Exercitiorum opificum pulcherrimos progressus facit ad summam satisfactionem Sanctissimi Domini Nostri, qui viro eximio alterius gentis gaudens id ipse narravit. Patres qui in variis Italiae Provinciis in hoc opus incumbunt, tempore Congressus Eucharistici Romam convenerunt ad consilia conferenda.

Cum in Austria et Germania saepissime sacerdotes externi ad Exercitia tradenda a variis communitatibus, collegiis, aliisve invitentur, Patres Oenipontani (Prov. Austriae) gratum officium eis se praestituros esse putaverunt, si opportunitatem praeberent accuratius perspiciendi genuinam Exercitiorum rationem eaque tradendi modum vere ignatianum. Quam ob rem mense augusti a die 17 usque ad 21 in Convictu Canisiano instituent cursum pro sacerdotibus utriusque cleri, quo variis conferentiis explicabunt structuram et historiam Exercitiorum, eorum momentum pro ascesi et mystica, statum praesentem operis, quomodo homines ad Exer-

citia peragenda induci possint et in iisdem regi debeant, quid in secessibus pro certa aliqua hominum classe habendis observandum sit. Post explanatum unumquodque rerum caput, facultas fiet res propositas discutiendi, difficultates proponendi, petendi explicationes; eodem porro die quo cursus finietur, incipient Exercitia, ita ut qui velint, doctrinam usu confirmare et perpolire possint.

Fasciculus periodici *Studiën* Prov. Neerlandicae mense iunii editus, totus de libello Exercitiorum tractat: quid sit, quomodo exortus, quomodo diiudicatus a protestantibus olim et nunc, quanti aestimatus a viris eximiis; de Exercitiorum domibus, varia historica.

3. – Brachium S. Francisci Xaverii ineunte mense maio in Hispaniam delatum est. Legatio gallica et hispanica datis litteris iter a molestiis immunem reddiderunt. Lutetiae et Burdigalae Nostri noluerunt privari consolatione venerandi manum beneficentissimam et Patres variarum domorum Galliae et Prov. Taurinensis iam petiverunt, ut fidelibus et sibi, cum reliquiae reportabuntur, eadem fieret opportunitas. Em. Card. Ioannes Benlloch ad fines Hispaniae processerat, ut ipse sanctum brachium continuo acciperet et suis manibus Pampelonam deferret. In oppido quo primum transeunt qui ex Gallia veniunt, automobilium agmen constitit et Em. Princeps Missam sollemniter cantavit et orationem in honorem S. Francisci Xaverii ad populum habuit.

Quanta frequentia atque laetitia civitas pampelonensis sancti sui Patroni venerandas reliquias receperit, facilius quis mente sibi fingere, quam verbis enarrare possit. Pampelona Episcopus urbis cum omnibus canonicis eas illustri pompa in Castellum Xaverianum detulit, quo numerosi nunc pii peregrini venerabundi undique accurrunt. Pater Generalis omnem in reliquias potestatem, dum in Hispania manent, Em. Card. Benlloch permisit, ea tamen lege ut ineunte mense novembri in suam restituerentur sedem, ne ipsis privarentur in novendialibus, quae festum S. Francisci diem praecedent, cives romani qui tanta in eas veneratione feruntur, et consociatio lugdunensis Propagationis Fidei, quae per idem tempus sollemne triduum in templo nostro SS. Nominis instituere meditatur.

Ad celebrandam memoriam canonizationis patroni sui, Xaveriani viri Flandriae Orientalis (dioeceseos Gandavensis in Belgio) die 14 maii convenerunt Oostaker, qui locus Flandriae Lourdes merito vocatur: fuerunt circiter 20000 virorum. 900 homines simul

sacrum cantum curaverunt inter Missam, cui Episcopus Gandavensis sollemni ritu adstitit. Summa fuit omnium commotio, cum post Missam symphoniae complures canticum in honorem S. Francisci Xaverii sonare coeperunt et multa millia virorum voces et mentes simul coniunxerunt.

4. – Die 4 aprilis Congregatione antepraeparatoria in aedibus Em. Card. Aidani Gasquet, causae Ponentis, habita, examen est institutum de tribus miraculis Ven. Roberti Bellarmini intercessioni attributis. Bona spes est exitum fuisse felicem ita ut " ad ulteriora procedere „ liceat, i. e. ad Congregationem praeparatoriam et postea ad generalem " coram Sanctissimo „ habendam.

5. – Conventus Congregationum B. M. V., indictus epistola Patris Generalis die 24 sept. 1921 (1), celebratus est a die dominica 21 maii usque ad proximam feriam IV. Tres primi dies Nostris reservati sunt, feria IV autem externis quoque adesse licuit.

Ex omnibus Societatis Provinciis et Viceprovinciis Delegati aderant; sedem quoque habuit inter Delegatos Primae Primariae Moderator. Pater Generalis, cui felix conventus exitus maxime cordi erat, iam mense februario P. Iosepho Quirico (Prov. Taur.), P. Alano de Becdelièvre (Prov. Franciae), P. Eduardo Garesché (Prov. Missour.), ad quos post festum Paschatis accessit P. Petrus Mischler (Prov. Germ. Inf.), commisit ut, P. Procuratore Generali Praeside, conventum omni diligentia pararent. Relationibus Provinciarum innixi, hi Patres schema perfecerunt rerum in conventu tractandarum, quod, lingua latina conscriptum et 26 paginis constans, quamquam ob temporis defectum non ea cura expoliri potuit, quam auctores ipsi ei adhibere exoptaverant, tamen ita confectum est, ut illud vir in rebus Congregationum apprime peritus appellare non dubitaverit operum id genus praeclarum exemplum; septem vero eius capita discussionibus solidum fundamentum et securam viam praebuerunt.

In aula maxima Collegii Germanici, ubi consessus celebrabantur, libri et periodica quae de Congregationibus tractant magna Patrum delectatione et utilitate collecta et per Assistentias ac Provincias distributa prostabant. Sodalitas Prima Primaria pretiosa documenta et registra spectanda praebuit, nec deerant numismata, varia diplomata aliaeque res Congregationum propriae.

(1) *Act. Rom.*, III (1921), pp. 328 sqq.

Dominica die, hora 9, Pater Generalis Delegatos brevi oratione praemissa paterno amore salutavit; deinde P. Boetto, Procurator Generalis, statum praesentem Congregationum exposuit et, conventus Praeside, Vicepraeside, Secretario constitutis, discussiones de singulis schematis capitibus coeptae et ad duas aut tres horas ante et post meridiem continuatae sunt. Primum Relator, qui semper fuit unus e Patribus ad schema parandum deputatis, quae erant descripta explicabat, mox cum omni libertate et caritate qui voluit sententiam suam de paragrapho proposita dicebat. Multum ad laetum harum discussionum exitum contulit familiaris ille spiritus, quo Pater Noster ab ipso conventus exordio eum imbuere scivit. Idem quamquam plurimis externorum salutationibus et variis negotiis fere obrutus, omnibus consessibus intererat et verbis auctoritate ac prudentia plenis singulas discussiones clausit. Quarum aliquis fructus erit Secretariatus (1), qui et ad obtinendam quandam procedendi conspirationem et ad res Congregationum B. M. V. promovendas in Curia nostra statuetur. Acta conventus ab iisdem Patribus qui eum paraverunt, nunc typis mandanda curantur.

Consessus externorum limitibus angustis consulto est contentus, ne Congressui Eucharistico iamiam incipiendo impedimento esse ullo modo videretur. Adfuerunt RR. DD. Archiepiscopus Leite de Vasconcellos in Urbe ipsa habitans, RR. DD. Fuenzalida Episcopus SS. Conceptionis (Conception, Chile) cum Secretario, R. D. Vercolier Secretarius Archiepiscopi Cameracensis (Cambrai in Gallia), Praesides Confoederationum Congregationum in Germania et Helvetia et Polonia, Praesides ex Austria, Belgio, Iugoslavia, Mexico. Relatores fuerunt P. Augustinus Garagnani (Prov. Ven.) de officio Moderatoris et P. Nicolaus Monaco (Prov. Rom.) de mediis ad practicam Moderatorum institutionem et ad Congregationes propagandas. Pater Generalis eos qui convenerant salutavit et difficultatibus propositis respondens de natura et ratione Congregationum locutus est. Qua occasione postulantibus ut Congressum universalem Congregationum B. M. V. Romam convocare vellet, promisit se omni opera curaturum, ut huiusmodi Congressus, nisi vis maior aliqua obstaret, anno 1925 in Urbem cogeretur. Feria II hora 9 ante communem conventum Delegati

(1) Cfr. *Act. Rom.*, V (1924), p. 93.

nostri singularum Assistentiarum, P. Assistente praeside, de rebus propriis egerunt.

Die 27 maii iidem a Summo Pontifice excepti sunt. Aderant omnes in aula Throni. Cum Sanctus Pater ex aliis aulis, in quibus plurimi erant peregrini, ad Nostros pervenisset, P. Procurator Generalis ei manifestavit sacerdotes, qui coram starent, esse e Societate Iesu, Romam missos ex variis mundi partibus, ut tamquam moderatores Sodalitatum B. M. Virginis Congressui Eucharistico interessent. Ipsos vero enixe optare, antequam in patriam redirent, manum Sanctitatis Suae deosculari et Apostolicam Benedictionem accipere pro se suisque Congregationibus.

Tunc Beatissimus Pater lingua italica fere haec respondit: " Perlibenter benedicimus hisce Patribus, qui licet suo numero pauci, tamen cum ex omnibus mundi partibus huc advenerint, magnam illam familiam Nobis quasi praesentem exhibent, quam Cor Dei cordi Nostro committere voluit.

Illud praecipue Nos laetitia et iucunditate afficit, quod una cum his Patribus alios coetus fidelium adesse intelligimus, qui plus minus magni, plus minus numero quoque potentes, certe tamen omnes spiritu praestant, quo moventur: Congregationes Marianas dicimus quas hi Patres regunt.

Congregationes Marianas bene cognovimus: nam felici Nobis experientia contigit, ut ex propinquo eas admirari possemus et cernere quantae sint utilitati singulis hominibus, familiis, populis ipsis.

Quare ex animo benedicimus omnibus his Patribus ac benedicimus omnibus Sodalitatibus, quas iidem sustinent et per rectam semitam ducunt; benedicimus cunctis earundem sodalibus, benedicimus operibus quae Sodalitates provehunt, benedicimus piis munusculis, quae hi Patres secum ferunt, simulque cupimus Nostram benedictionem respondere intentionibus, quas ipsi animo et corde fovent „.

6. – Pater Generalis litteris die 25 februarii ad Praepositos Provinciales datis subsidia petiit pro famelicis in Russia simulque spem esse significavit, fore ut nos quoque ad partem aliquam vastissimae illius vineae colendam a S. Sede aliquando vocaremur. Qui nuntius singulari gaudio ubique acceptus est et multi Patres Fratresque divina gratia ducti certatim se obtulerunt ad missio-

nem suscipiendam et mortem ipsam obeundam, si Divinae Maiestatis obsequium id ferret.

Eleemosynis pro Russia colligendis non parva quidem impedimenta obstabant, multae aliae necessitates summo pecuniae stipendio sublevatae vel etiam sublevandae, timor imprimis externorum, ne nummi collecti non in manus indigentium pervenirent, sed in aliorum marsupia dilaberentur; tamen omnes Provinciae filiali ac prompta liberalitate hortationibus Patris Nostri obsecutae sunt, ita ut nonnumquam fervori quo privationes sibi imponerent temperandum esset. Quantae haec caritatis et abnegationis concertatio Patri Nostro consolationi fuerit, non est cur commemorem, cum in ea viventis spiritus nostrae Societatis specimen et divinarum benedictionum pignus certissimum conspexerit.

Subsidiis pecuniariis parandis non contentus, Pater Generalis ut orationis auxilium infelicibus illis gentibus potissimum afferret, intentionem Apostolatui Orationis per mensem septembrem praestitutam, approbante Summo Pontifice hunc in modum amplificavit: " Pro fame pressis in Russia et pro futura sorte catholicae religionis apud slavicas nationes „. Litteris quibus haec mutatio cum moderatoribus Nuntiorum SS. Cordis communicata est, timores ii quos supra indicavimus sedari potuerunt, cum nuntiatum esset eleemosynas nostras per ipsius Sedis Apostolicae delegatos distribuendas esse sicque certo ad fame afflictos perventuras. Inter hos delegatos etiam aliqui Nostri adsciti sunt, qui, ut speramus, post paucos dies distributionem subsidiorum nomine S. Sedis inchoabunt. Ita ad caritatis meritum solatium accedet Societatis filiis sane gratissimum, quod hisce abnegationis fructibus conferent quoque ad excitandum in illis populis animum gratum ac pium erga ipsum Christi Vicarium.

Praeter haec auxilia indigentibus in Russiam ipsam inferenda nonnullae Provinciae iam antea non parvis sumptibus et labore profugis e Russia adiumento venerunt. Ita Insulis (Lille) Patres Prov. Campaniae 17 studentibus russiacis habitationem, victum, opportunitatem studia prosequendi providerunt; in multis Collegiis Assistentiae Galliae pueri exules omnino gratuito recepti sunt; Prov. Lugdunensis de Russis Constantinopoli degentibus optime merita est; Parisiis et Bruxellis Nostri russiacos iuvenes linguas docent, ut facilius victum invenire possint. Pragae fere 2000 adolescentium russiacorum degunt quibus a gubernio habitatio et studendi facultas suppeditatur; eorum necessitatibus spiritualibus

et materialibus Patres inservire conati sunt in quantum res permittebant.

Dum hac ratione vel Russos ipsos exules iuvamus vel auxilia iis in patriam pro exiguis nostris viribus perferenda paramus, ex variis regionibus quae nuper imperio russiaco subiectae erant, laeti ad nos offeruntur nuntii.

In Esthonia praeclaram adhuc exstare memoriam Patrum antiquae Societatis P. Antoninus Zecchini (Prov. Ven.), Visitator Apostolicus regionis balticae, refert. Singulari veneratione ibi incolae recordantur diligentem industriam et apostolicam charitatem qua Nostri linguam populi addiscebant et zelum animarum, quo missionibus habendis alacriter se dabant et animos fidelium ad sinceram compunctionem et solidam vitae emendationem excitabant. " Ego ipse, testatur Episcopus quidam earum partium, haec a meis maioribus de Societate audivi „. At nunc in tota Esthonia duo tantum Sacerdotes catholici inveniuntur et ut nostri missionarii redeant, fideles instanter efflagitant.

In Lithuania quoque Societatem magni faciunt eamque accersendi seriam voluntatem ostendunt: neque spes deest habendi ibi vocationes et Scholasticorum et Fratrum Coadiutorum. Tres iuvenes lithuani non ita pridem tirocinium Provinciae Germaniae Inferioris ingressi sunt.

Rigae in Lettonia, cum in comitiis publicis de Societate admittenda vel arcenda ageretur, ephemerides protestantes vehementer in Societatem invexerunt, postea vero tempestate sedata visitator Apostolicus cum suo socio P. Hadriano Boudou (Prov. Tolos.) gubernii ipsius nomine exceptus praesentibus etiam compluribus protestantibus sollemniter in templum ingressus est ac ne verbum quidem contra eum amplius scriptum est.

In Crimea Praeses Comitiorum tartaricorum et summae in republica auctoritatis est dominus Djafer Seidamet; qui cum ante Pascha in Urbem venisset, etiam, quamquam religione mahometanus, Patrem Generalem salutandi causa convenit eumque ut Nostros in patriam suam mitteret, invitavit sat firmiter sperans Societatem quae divitiis afflueret suorum miseriae opem facile laturam. Ante suum ex Urbe discessum rediit omneque praesidium promisit, si quo Nostri in illis terris indigerent.

7. – Ad Congressum Eucharisticum in Urbe parandum Patribus romanis vario modo contribuere licuit, eo praesertim quod

ipsis demandata est cura instituendi adorationem Sanctissimi qua parvuli innocentibus suis precibus divinum patrocinium super Congressum invocarent; tum etiam ordinandi Communionem generalem puerorum. Quamquam extremo demum tempore id officium Nostris commissum est, tamen opera maxime adiutricum Apostolatus Orationis contigit ut 10.000 puerorum die 14 maii in templum SS. Nominis adducerentur et die 28 maii 20.000 in Colosseum ad Communionem generalem congregarentur.

8. – P. F. Hendrichs (Prov. Neerl.) postquam in urbe Rotterdam apud circiter 554 acatholicos, viros et mulieres, conferentias habuit de fundamento fidei romanae eorum fere 60 colligere potuit ad cursum accuratioris institutionis. Ex quibus mox quinque ad veram fidem amplectendam se converterunt; deinde die 20 mai duodecim simul baptizati sunt. Denique quinque alii iam prompti paratique sunt ad idem faciendum. Ita brevi tempore per unum solum Patrem viginti duae animae ad Ecclesiam et plenam Domini Nostri notitiam adductae recensentur.

9. – Romae viri astronomiae similiumque disciplinarum periti mense maio congressum instituerunt cui quinque Nostri quoque interfuerunt: P. Cortie (Stonyhurst), P. Hagen (Speculae Vaticanae Director), P. Pigot (Sydney), P. A. Rodés (Tortosa), P. Stein (Amsterdam). Cum P. Cortie et P. Stein a P. Hagen invitati in Specula Vaticana habitarent, Summus Pontifex eos, dum in hortis ambulabat, conspexit et ad se accedere iussit; promisit se proximo die in speculam esse ascensurum ut alios quoque Patres qui Congressui interessent illuc vocandos videret. Quanto cum gaudio hi invitationi obsecuti fuerint, non est cur dicam. Per tres quadrantes S. Pater sicut amicus cum amicis est locutus atque etiam P. Cortie id petenti libenter permisit ut omnium imaginem photographicam faceret.

Cum P. Rodés aliis congressus sociis proposuisset vellentne Summum Pontificem invisere, amplius centum continuo nomen dederunt, inter quos etiam multi protestantes. Unus ex his Patrem interrogavit liceretne sibi res pias S. Patris benedictioni subiicere. Nec sine gaudio audivit eam non minus sibi quam suis rebus profuturam.

In audientia P. Rodés Summum Pontificem circum per aulam comitatus singulorum nomina indicavit quos Sanctus Pater tam

benigne et familiariter, dum manum vel oscularentur, vel consererent, singulos alloquebatur atque in fine simul omnes tam apposite est affatus ut cuncti benedictione reverenter suscepta, contenti et animo gratissimi inde abirent; Summus Pontifex autem ipse Patri Generali satisfactionem suam de hac re aperte manifestavit.

10. – Finem his litteris imponam nuntio qui vobis non minorem laetitiam in Domino afferet quam nos affecit consolatione: tempore Congressus Eucharistici plurimi e variis mundi partibus Episcopi in Urbem advecti, cum Patrem Nostrum salutandi causa convenirent, laudibus extulerunt industriam atque studium quibus Nostri in bonum suarum Ecclesiarum et in salutem proximorum promovenda incumberent. Verba factis confirmantes Illustrissimi Praesules complura suarum dioeceseon opera inter quae non pauca summi momenti, ut sunt Seminaria, Societati instanter obtulerunt; a quibus tamen plerisque accipiendis ob multitudinem et diversitatem laborum Nostros ubique obruentium P. Generalis non sine dolore abstinere debuit.

Commendo me ss. SS. et OO.

Romae, die festo Visitationis B. M. V.
2 iulii 1922.

Vestrum omnium servus in Xto.

Henricus Carvajal
Secr. Soc. Iesu.

III.

Reverendi in Xto. Patres Fratresque carissimi:

P. Xti.

1. – Novis splendidisque argumentis Summus Pontifex his ultimis mensibus Societati summam suam benevolentiam comprobavit. Die 21 iulii Patrem Nostrum excepit et horam amplius detinuit; denuo Exercitiorum opus dilaudavit, asserens hoc esse tanti momenti, ut Sancta Sedes suum proprium habere et appellare posset, et gratulatus est quod in ea tradenda egregie nos incumberemus. Gratum quoque suum animum professus est pro ceteris nostris operibus ac praecipue pro cura adiuvandae Russiae tam hominibus mittendis quam pecunia corroganda et donanda. Addidit se putare benevolentiam suam in Societatem nobis iam esse manifestam. Quibus verbis commotus Pater Generalis humillime respondit tot tantisque argumentis Sanctitatem Suam id Societati probasse, ut ad nihil aliud magis adspiret, quam ad se laboribus et fidelitate praestandam non indignam summa Eius voluntate.

Paulo post, adventante die onomastico Patris Generalis, idem Summus Pontifex sui vultus imaginem photographicam e multis unam sibi gratiorem selegit et Patri Nostro donandam misit, quam sua manu his verbis ornavit: " Dilecto in Christo filio Wlodimiro Ledóchowski, Praeposito Generali Societatis Iesu, in signum singularis benevolentiae cum Apostolica Benedictione in eius personam inque universam religiosam Familiam necnon in opera quibus in toto orbe incumbit " ad maiorem Dei gloriam „; 23. VII. 1922. Pius PP. XI „.

Absente Patre Nostro, qui eius vices gerebat P. Franciscus de P. Nalbone, litteris ex Aedibus Vaticanis acceptis, invitatus est ut Summum Pontificem adiret. Quibusdam negotiis expeditis, Summus Pontifex humanissime quaesivit, quomodo Pater Generalis (tunc in Helvetia degens) se haberet, iussitque P. Assistentem suo nomine ad eum scribere, ut vires bene, non " per breviorem tantum „ – quemadmodum dixit – reficeret et ut singularem cum eo Apostolicam Benedictionem communicaret.

Rectores quoque externorum Collegiorum, qui ex tota Assistentia Italiae in Collegium Tusculanum (Mondragone) medio mense augusto, ut infra narrabimus, convenerant, a Praeposito Prov. Romanae in Aedes Vaticanas adducti sunt; Sanctus Pater eos magna humanitate excepit et iucundis animi motibus affectus Societati gratias egit pro laboribus in iuventute secundum Ecclesiae praecepta instituenda positis. Exorsus est se ex animo impertire Rectoribus benedictionem omnino singularem, quod ipse vidisset, quanta bona Societatis Collegia procurarent. Se maxime confidere precibus, quae in mundo universo fierent pro Christi Vicario; sibique persuasum esse Patres Societatis non solum ipsos pro illo Deum orare, verum etiam alios hortari ut idem facerent. Gratum se esse Rectoribus, quod animis puerorum sibi commissis maxima commoda praestarent. Denique non solum libenter iis permisit, sed imo officium imposuit, ut ipse dixit, ac mandatum dedit, ut in suo quisque Collegio benedictionem papalem impertirent.

Eundem gratum erga Societatis Collegia animum Pius XI iam antea manifestaverat, cum sub finem anni scholaris Romani Collegii " Massimo „ alumnos et veteres et recentes ad suos pedes provolutos conspiceret. Neque minore favore alumnos Anagnini Pont. Collegii Leoniani (Prov. Rom.) et Seminarii Regionalis Campani (Prov. Neap.) excepit. Non multis abhinc diebus P. Carolo Miccinelli, Universitatis Gregorianae Rectori postulanti ut quemadmodum a Pio X et Benedicto XV quotannis aureum numisma concedebatur inter eos singularum Facultatum laureatos alumnos sorte distribuendum qui periculum summa cum laude superassent, ita in posterum idem suo nomine fieret, omnia confirmavit atque adeo hac prima vice Ipse, cum scrinium continuo aperuisset, tria splendida numismata deprompsit eaque Rectori obtulit. Cum demum hic facultatem peteret lectores Universitatis auditoresque aliquando simul ad eius solium adducendi, libenter Ille annuit, addens se per eam occasionem facile crediturum sibi tempora redire cum inter alumnos Universitatis Gregorianae versaretur.

Longum est singillatim omnia enumerare colloquia, quibus Summus Pontifex similes sui in Societatem studii significationes Nostris sive seorsum singulis sive una simul collectis dedit, ut Instituto Biblico, cuius Patrum operam dixit se amore inter peculiares peculiarissimo prosequi, et Collegio scriptorum Civilitatis Catholicae, quibuscum longum et familiarem sermonem habuit.

Unum praeterire non possum. Paulo postquam in Urbem ex Tusculano redivimus, Pater Generalis laetum nobis attulit nuntium, brevi Curiam universam a Summo Pontifice receptum iri. Sane die 25 octobris Patres et Fratres Coadiutores, quadraginta omnino, in aula throni consistebamus, cum hora prima cum quadrante Sanctus Pater alacri, ne dicam iuvenili gradu, ingressus est. Pater Generalis illum veneratus per aulam est comitatus, indicans qui singuli essent vel quo munere fungerentur. Summus Pontifex multa humanitate omnibus manum osculandam porrexit, sed cum venit a P. Ioannem B. Goetstouwers et audivit eum esse tabularii Societatis praefectum parumper substitit et diligentius de eo sciscitatus est. Fratrum quoque Coadiutorum sollertiam cum Pater Noster singulatim laudaret, Summus Pontifex ante coquos semel atque iterum gradum sistens eorum curis communitatem iocose commendavit dictitans: bona culina, bona disciplina. Tum adstantem sibi nostrorum coronam verbis non quidem multis, sed vere paternis et benevolentia ergo Societatem plenis, stans ipse est allocutus haec inter alia dicens: studium et praecipuum amorem (" simpatia e predilezione „) quibus Romani Pontifices Societatem prosecuti essent, nunquam nimia fuisse pro laboribus quos scirent illam semper in se suscepisse et quos in posterum unice A. M. D. G. et Ecclesiae atque S. Sedis emolumentum suscepturam esse sperarent; cum autem sentiret Se tunc esse coram iis qui circa ducem ipsam curarent (" Stato Maggiore „ dixit), huic cum benediceret, universae simul Societati apostolicam benedictionem Se impertire velle.

Atque haec omnia commemorasse iucundum quidem est utpote animi erga Societatem benevolentissimi testimonium; sed levia fortasse videbuntur, si cum aliis summae fiduciae et existimationis significationibus conferantur. Cui non in mentem statim venit Constitutionis Apostolicae " Summorum Pontificum „, qua S. P. Ignatius omnium Exercitiorum Spiritualium Patronus sollemniter est renuntiatus (1)? Pontifex ipse, postquam documentum ut quam citissime conficeretur iterum iterumque commendavit, ut ante diem S. Ignatio sacrum divulgari posset, schematis propositi titulo " Litterae Apostolicae „, hunc alium substituit " Constitutio Apostolica „; qua mutatione eam novis hisce honoribus Parenti nostro decernendis sollemnitatem adhibendam voluit quae maxima

(1) *Act. Rom.*, III (1922), pp. 404 sqq.

est atque in hoc actorum genere parum usitata, nimirum ut pontificiae Bullae ornamentum ac pondus adiiceretur.

Porro Pii XI benevolentiae debemus, quod nuper S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, consilium exsequendo iam a Benedicto XV susceptum, biennium sive philosophiae sive theologiae in Universitate Gregoriana novo gradu magistri aggregati auxerit; quanti vero Summus Pontifex faciat hoc curriculum, Pater Generalis ipse satis significavit litteris, quibuscum decretum S. Congregationis in Provincias misit (1).

2. – Recentissimum tandem et nequaquam exiguum magnae fiduciae documentum idem Societati dare ultro voluit, cum, alacri strenuaque Nostrorum oboedientia apertissime fisus, praeter omnium et nostram imprimis exspectationem, Institutum Pontificium Orientale cum Biblico coniungendum (2) nobis verbis quam amplissimis tradidit. " Perspecta religiosae Familiae vestrae „ ita Summus Pontifex in epistola die 15 septembris ad Patrem Generalem data " pietate erga Sedem Apostolicam, id fore pro certo habemus, ut huic voluntati Nostrae libenter obsequamini eandemque eximie, ut consuevistis, exsequi contendatis. Profecto novum et grave onus hoc Nostrum mandatum vobis imponit; sed omnino confidimus thesauros scientiae ac roboris SS. Cordis religiosis iis viris numquam prorsus defuturos, qui, tamquam remiges validi, ad nutum supremi Ecclesiae Gubernatoris, in maiorem Dei gloriam improbo ponderi laetanter humeros submittunt „. Et sane minime contemnendus labor erat non paucos lectores eosque pro singulis disciplinis excellentes, intra brevissimum duorum mensium spatium comparare vel potius ex improviso huic operi destinare, praesertim cum discipulorum numerus perexiguus tanto sacrificio minime responderet; quattuor enim alumni nobis superstites relinquebantur, adeo ut Institutum potius suscitandum quam tranferendum diceretur. Accedebant multorum invidia et murmuratio, quibus aegre persuadeas non ambitiose quaesitum esse munus, quod tamen prorsus inconsultis nobis et non modo non expetentibus, sed ne opinantibus quidem, delatum fuerat. Quas difficultates clare perspiciens Summus Pontifex, Assistenti Italiae P. Francisco de Paula Nalbone, qui Ei pro tanta in nos

(1) *Act. Rom.*, III (1922), pp. 405 sq.
(2) *Act. Rom.*, III (1922), pp. 407 sq.

fiducia gratias agebat, hanc subridens respondit hac vice fere *nimiam* fuisse.

Ut primum Pater Noster Pontificis voluntatem cognovit, ne momento quidem cunctatus est obsequi; et, nisi sciremus virum oboedientem victorias locuturum, mirum esset cernere quanta celeritate lectorum sufficiens copia ad disciplinas peculiares docendas satis parata inventa sit. Praefectus studiorum, quem praesidem dicunt, Instituti Orientalis nominatus est P. Michael d'Herbigny (Prov. Camp.), qui iam per multos annos rebus ecclesiasticis cum Orientis tum Russiae studuit easque libris et lucubrationibus illustravit. Huic tamquam professores accedunt septem alii Nostri, quorum duo iam antea in eodem Instituto ab ipsis eius exordiis docebant; reliqui vel Romam nunc vocati vel ex romanis lectoribus excerpti sunt, qui simul etiam sive in Universitate Gregoriana sive in Instituto Biblico docere pergent; praeterea ex antiquis Instituti Orientalis magistris duo externi, alius pro lingua russiaca, alius pro lingua et litteris byzantino–graecis. Neminem latet haec laborum initium aliquod solummodo dici posse, qui Societatem nostram manent, si optatis Romani Pontificis nostroque bono nomini satisfacere velimus. Immensus enim et ad hoc usque tempus inexploratus campus ad zelum Nostrorum panditur, quorum bene multi, animo futurorum praesago, e labentis schismatis ruinis, sive in Russia sive in aliis Orientis regionibus, veram Christi Ecclesiam denuo excitare gestiunt; ad quod certe non parum Institutum Orientale conferre poterit.

Et quoniam de his rebus sermo incidit, hic referam die S. Wlodimiro regi et apostolo Russorum sacro, sub vesperum socios difficillimae russiacae missioni destinatos iter suum aggressos esse felici auspicio: P. Ioannem Capello (Prov. Lugd.), P. Dominicum Piemonte (Prov. Ven.), Fr. Coad. Iosephum Belokostolsky (Viceprov. Cechosl.). Cum Nostris S. Sedes alios misit, nimirum tres religiosos Salesianos (2 PP. et 1 Fr.), tres ex Societate Verbi Divini (2 PP. et 1 Fr.), duosque Patres ex Congregatione hispanica Missionariorum Cordis Mariae. Mane Summus Pontifex omnes Sacrum a se peractum audituros in Aedibus Vaticanis voluerat, qui cum ad ea Evangelii verba pervenisset: " Ite, ecce mitto vos... „ et ad illa alia in fine Missae (erat enim pervigilium S. Iacobi Apostoli) " vos amici mei estis... Iam non dicam vos servos... Vos autem dixi amicos... „ haud parum commotus lacrimas fundere ab adstante corona visus est. Post Sacrificium profecturos paterna

caritate ac voce lacrimis fere intercepta allocutus est, ultimam ipsis salutem lingua polonica apprecans. Statim post simili benevolentia ab Em. Card. Secretario Status excepti, missionarii a RR. DD. Iosepho Pizzardo, Substituto Secretarii Status, ad ientandum invitati sunt.

Bario (Bari) Constantinopolim solverunt, inde Odessam primum, deinde Sebastopolim et Theodosiam appellentes, iter Simferopolim direxerunt et, non paucis difficultatibus superatis, die 6 sept. Eupatoriam in Crimea tandem pervenerunt, 42 diebus post quam Roma profecti erant. Ita praeter omnem exspectationem et celerius quam quisquam tunc praevidere poterat, satisfactum est desideriis Djafer Seidamet illius Tartaricorum Comitiorum Praesidis, de quo in superiore epistola rettuli (1), qui Patrem Generalem rogaverat ut Nostros mitteret in Crimeam. Reliquos praecesserat terrestri itinere eoque permolesto ita ut per biduum omni cibo caruerit, P. Edmundus Walsh (Prov. Maryl.-Neo Eb.) cum socio P. Ludovico Gallagher (eiusdem Prov.). Patri Walsh, qui iam vere superiore cum legatis americanis, famelico populo cibos allaturis, Russiam peragrarat, a S. Sede commissum est, ut pontificiae legationi alimenta distribuenti praeesset. Ex urbe Moscua, ubi sedem huius legationis principem fixerat, Theodosiam petiit et sociis obviam venit, quos Eupatoriam deduxit.

In hac urbe iam prima culina aere pontificio constituta die 29 septembris sollemniter aperta est. Amplissima in aula aderant pueri cum parentibus et amicis, nuntii quoque ephemeridum moscuensium et simferopolitanarum ; muro affixa pendebant insignia S. Sedis, tiara sacraeque claves, quae clare indicarunt cui beneficium acceptum referri deberet. Post aliqua hinc inde alloquia ciborum distributio fieri coepta est. Ab hora 1 usque ad 3 a meridie plus mille pueri admissi sunt, quibus hoc primo die tantum comedere licuit, quantum libuit : panem album, qualem numquam acceperant, pulmenta valida, cacao. Spectaculum photographia expressum Summo Pontifici demonstravit quanta laetitia miserorum puerorum animos paterna eius caritas affecerit. Eupatoriae Patres e Societate Verbi Divini manent ; Rostowii duo Patres hispani ; Moscuae Salesiani, Iekaterinodarii Nostri alias culinas adornabunt.

Egestas parvulorum matrumque tanta est, ut verbis exprimi vix possit ; in praesentia typhus, qui famen sequi solet, denuo regiones illas conflictare coepit. Patres undequaque magnis periculis circumdati fortissimo orationis subsidio valde indigent.

(1) V. supra, p. 19.

Ut quae ad res orientales pertinent rite absolvamus, locus hic esse videtur pauca adiungendi de congressu Velehradiensi. Iam aliquot annos ante bellum europaeum Velehradii (Vicepr. Cecosl.), qua in urbe apostoli slavicarum gentium SS. Cyrillus et Methodius quasi sedem suam constituerant, conventus ut notum est habebantur, in quibus quaestiones et res ad catholicos et orthodoxos inter se magis notos reddendos tractarentur. Instituta quoque fuerat consociatio SS. Cyrilli et Methodii, quae omni ope, praesertim assiduis ad Deum precibus coniunctionem dissidentium cum Romana Ecclesia promoveret. Anno superiore congressus, qui pristinae consuetudinis instaurationem praepararet, est habitus et hoc demum anno plene restitutum est quod ante bellum feliciter coeptum erat.

Sub auspiciis RR. DD. Antonii Stojan, Archiepiscopi Olomucensis et summi fautoris Patrum Nostrorum velehradiensium, circiter 80 ad haec consilia convenerunt, quos inter nonnulli russi orthodoxi. Solidum fundamentum cum in omni materia, tum in hac sane difficili pernecessarium antea egit P. Theophilus Spacil (Viceprov. Cechosl.) in Pontificio Instituto Orientali lector, oratione de primatu et infallibilitate Romani Pontificis habita, quae summo omnium plausu donata est.

Illud etiam propositum probatumque est, ut inter schismaticos promoveretur cultus SS. Cyrilli et Methodii, qui ab ipsis quoque inter sanctos recensentur, inter catholicos vero cultus SS. Wlodimiri et Olgae Principum Russorum, qui eam gentem ad fidem christianam adduxerant quique semper cum Apostolica Sede coniuncti ad mortem usque vixerunt.

P. Hilarion Gil, qui aderat tamquam libelli periodici " Razón y Fe „ curator, auctor fuit ut consociatio SS. Cyrilli et Methodii, quae nunc fere inter slavicas gentes continetur, ad omnes nationes extenderetur, ut totus orbis catholicus precibus, eleemosynis, laboribus in reducendis ad unitatem schismaticis partem haberet. RR. DD. Augustinus Fischer-Colbrie, Episcopus Cassoviensis, nomine congressus petiit, ut periodica Societatis: *Civiltà Cattolica*, *Études*, *Month*, *Stimmen der Zeit* aliaque huius generis, singulis annis saltem semel commentationem de unione scriberent.

3. – De summo Societatis opere, Exercitiis Spiritualibus, laeta quaedam nuntianda sunt. Conferentiarum cursus de genuino modo tradendi ad mentem S. P. Ignatii Exercitia Spiritualia, quem PP.

Oenipontani, ut superioribus litteris rettuli (1), pro externis sacerdotibus instituerunt, cum divino auxilio laetum exitum habuit. Convenerunt ad 200 sacerdotes utriusque cleri; nimirum 10 Franciscani, 15 Capuccini, 9 Redemptoristae, 6 Benedictini aliique; universi religiosi 57 ex 15 variis ordinibus et Congregationibus praeter Nostros; reliqui sacerdotes saeculares erant. Tempori allata est Constitutio Apostolica, qua S. P. Ignatius Patronus Exercitiorum declarabatur. Tantum vero fructum auditores ceperunt, ut anno quoque proximo aurei libelli explanationem habendam ultro proposuerint. Praeterea Oeniponti in nostro Canisiano Convictu secretariatus constituetur de iis omnibus certiorem quemque facturus, quae ad Exercitia spectant ac simul libros de iisdem conscriptos ex bibliotheca ibidem adornanda pro singulorum desiderio commodaturus.

In congressu foederatae Iuventutis Catholicae ex omnibus nationibus Hagam Comitis (La Haye) coacto, Secretarius Generalis D. Constantinus Parisi, aliquando discipulus Collegii nostri romani " Massimo „ ad variam iuvenum multitudinem verba fecit de Exercitiis Spiritualibus. Quibus auditis, hoc fuit concors totius concionis decretum:

1° ut Exercitiorum Spiritualium notitia et usus prelo, conventibus, consessibus propagarentur, collata quoque in eum finem pecunia;

2° ut singuli foederis socii Exercitia Spiritualia nonnunquam peragerent, praesertim vero ii qui munia publica sustinerent vel ad ea suscipienda se accingerent;

3° ut peculiari cura Exercitia opificibus traderentur.

Praeterea idem Secretarius Generalis pollicitus est, se dinumerationes posthac editurum Exercitiorum, quae socii singulorum coetum peragerent, ut ceteris stimulo essent et exemplo.

Quanto studio " L'Association Catholique de la Jeunesse Française „ socios suos ad Exercitia Spiritualia adducat, vel ex his numeris apparet: ab ineunte anno 1920 ad diem usque 15 iunii 1922 Exercitia clausa 484 vicibus repetita 11,567 iuvenes frequentarunt; 15,297 Exercitia publica; 14,159 recollectiones. Quare nemo mirabitur, quod eodem tempore ex ea Consociatione alumni 380 sacerdotalem vitam et 143 religiosam sint amplexi.

Pragae (Viceprov. Cechoslov.) primum hoc anno Exercitia in

(1) V. supra, p. 13.

triduum a quodam nostro sacerdote secretariis catholicae factionis politicae tradita sunt. Ex 22 qui invitati fuerant 20 advenerunt et sacrum secessum pientissime peregerunt. Cum nescissent, quid Exercitia essent, cartas lusorias secum attulerant et de vespertinis conventibus in taberna habendis inter se egerant; quod dulce somnium prima concio ab iis dispulit. Nihilominus suae sorti acquieverunt et fere omnes silentium servarunt. Re absoluta, gratissimi animi sensus prae se tulerunt et nonnulli statim consilia cum Patre contulerunt, quomodo Exercitia suis iuvenibus tradi possent et ut a Nostris id muneris susciperetur rogarunt.

Momentum usui Exercitiorum accessit ex uno Archiepiscopo et septem Episcopis qui mense augusto anni superioris Andegavis (Angers, Prov. Franc.) moderatore P. Mauritio Barret (Prov. Camp.) sacro secessui summa cum satisfactione operam una dederunt.

Sed illud maius quod mense octobri in Aedibus Vaticanis Exercitia Spiritualia habita sunt familiae Pontificiae, quibus Summus ipse Pontifex interfuit. Ad ea Sanctitas Sua ex Patribus sibi propositis elegit PP. Octavium Marchetti et Galilaeum Venturini (utrumque Prov. Rom.), quamquam hic postremus ante tres annos ad eamdem Curiam ea tradiderat.

4. – Rectores omnium Collegiorum in Italia (15) medio mense augusto in Collegium Tusculanum (Mondragone, Prov. Rom.) convenerunt, ut ibi, Exercitiis Spiritualibus simul peractis, de institutione puerorum inter se conferrent. Tres Commissiones constitutae sunt quae totidem diversis rerum propositarum partibus peculiariter a se consideratis, de his in consessibus plenariis referrent: prima egit de Nostrorum communitate et de administratione; secunda de institutione religiosa, morali, sociali alumnorum; tertia de magistris ac docendi ratione. Consultationes ipsae quibus P. Iosephus Filograssi, Praepositus Provinciae Romanae, praefuit, habitae sunt a die 26 augusti usque ad 29 mane et vesperi per amplius duas horas.

P. Rector Collegii Leodiensis (Liège) S. Servatii (Prov. Belg.) laetus Patri Nostro rettulit, in fine anni scholaris 1921-22 duodecim ex discipulis rhetoricae Ecclesiae servitio nomen dedisse. Sex ingressi sunt seminarium dioecesanum, quinque tirocinium Societatis nostrae; unus ordini Praedicatorum adscriptus est. In tam ampla vocationum segete Patres vident singularem favorem SS.

Cordis Iesu, cui totum Collegium est dedicatum et cui praecipuum cultum exhibet.

Collegium Georgiopolitanum (Prov. Maryl.–Neo Eb.) anno scholari superiore (1921–1922) 2267 discipulos habuit (quorum 1227 in schola iuris; ineunte hoc anno 1300 sunt). Quae facultas inter ceteras eiusdem disciplinae scholas in Statibus Unitis una primum locum obtinet auditorum numero et doctorum auctoritate: nam cum sita sit Washingtonii, in sede gubernii et summi tribunalis, inter eiusdem consilii iudices magistros suos, viros maximae famae, obtinet. In reliquis Collegii facultatibus partibusque numerus discipulorum magis coartatur aedificiorum angustiis et pecuniae penuria.

Diplomatica etiam scientia suas ibidem post bellum obtinuit scholas " Foreign Service „, ubi iuvenes ad eam et ad consulare munus et commercium cum exteris gentibus informantur, quae nunc summa iam auctoritate gaudet; ad eas 452 discipuli confluunt ex 45 Statibus reipublicae Americae Septentrionalis, ex Brasilia, Canada, Sinis, Hibernia, Polonia et aliunde. Qui curriculum adhuc absolverunt, in omnes fere mundi partes dispersi, variis neque parvi momenti legationum muneribus funguntur, ita ut P. Edmundus Walsh, qui huius scholae auctor ac primus moderator exstitit, cum Summi Pontificis iussu in Russiam proficisceretur, in multis urbibus quas peragravit et in Russia ipsa suos discipulos inveniret, et publicus a secretis rerum externarum praeses ab eadem schola aptum ad hoc vel illud munus alumnum iterum iterumque peteret. Hoc anno 40 discipuli cum magistris in rem publicam mexicanam profecti ut linguam hispanicam addiscerent et res oeconomicas illius regionis suis oculis perspicerent, ita ibi se gesserunt, ut a viro in summae auctoritatis publico munere constituto laetissimae de hac re gratulationes ad P. Ioannem B. Creeden, Collegii Georgiopolitani Rectorem, perscriberentur. Quanti facienda essent haec nova studia, cum probe intelligerent protestantes, consilium inierunt similem scholam aperiendi; attamen facile iis non erit georgiopolitanam fama et auctoritate aequare.

5. – Patre Generali suasore, P. Henricus Sierp, libelli periodici *Stimmen der Zeit* curator, ceteros id genus periodicorum nostrorum curatores mense augusto invitavit Monachium, eodem tempore quo catholici Germaniae congressum celebrabant, ut alii alios cognoscerent et de scribendi munere inter se agerent. Prae-

ter scriptores *Stimmen der Zeit* aderant missi a *Civiltà Cattolica* (P. Angelus Brucculeri), *Magyar Kultura* (P. Adalbertus Bangha), *Studiën* (P. Henricus Duurkens), *Przeglad Powszechny*, (P. Ioannes Urban), *Etudes* (PP. Iosephus Boubée, Paulus Doncoeur), *Razón y fe* (P. Hilarion Gil), *The Month* (P. Iosephus Keating), *Studies* (P. Georgius O'Neil), *America* (P. Paulus Blakely). Convenit inter omnes, ut quotannis eiusmodi congressus haberetur, et Patri Sierp munus commissum est quaestionum capita ordinandi eaque ad ceteros mittendi.

6. – Ad clerum indigenam informandum nostri missionarii indefessi laborant, nec sine fructu et consolatione. Sic Missio Kwangensis (Prov. Belg.) die S. Petri Claver sacro in Statione Lemfu parvum seminarium aperuit; 25 vel 30 pueri ut admitterentur petierunt; 10 recepti sunt et nunc in studio linguae latinae bene progrediuntur; exordium modestum quidem, at Patres, quamquam difficultates casusque incertos, quibus huiuscemodi operis initia obici solent, minime ignorant, tamen firmam spem habent fore ut divina gratia incoeptum ad fidem inter eos populos propagandam tam necessarium ad bonum finem perducat.

Provincia Neerlandica Missioni suae Iavensi constituit proprium novitiatum in urbe Djokjakarta. Eo profecti sunt hoc autumno quattuor Novitii iavenses et duo batavi qui primum annum tirocinii in Hollandia peregerant; in Missione ipsa his accesserunt alii duo indigenae. Iavenses non solum christiani, sed etiam infideles, cum suae gentis iuvenes veste qua Nostri utuntur indutos conspicerent, ingenti laetitia affecti exclamabant: " Nunc primum videmus nostrates omnino eodem loco habitos ac Europaeos „. Boni Novitii autem Magistro suo in Hollandia laetabundi rettulerunt, quantum bonum iam nunc facere valeant docendo contribules suos propria lingua doctrinam christianam.

7. – Ineunte mense iulio, P. Iosephus Quirico (Prov. Taur.), curator periodici italiani Sodalitatum B. M. V., effecit ut Lycii (Lecce) mariana comitia haberentur, ad quae honoris auctoritatisque gratia Summus Pontifex Em. Card. Camillum Laurenti delegavit. Haud parum haec iuvarunt ut inter Italiae meridionalis populos natura Congregationis notior fieret et congressus generalis anno 1925 Romae celebrandus praepararetur.

Patres Poloni omnium Sodalitatum B. M. V. in Polonia Moderatores invitarunt, ut ad congressum die 23 et 24 augusti

Cracoviae habendum convenirent. Plus quam 80 Praesides ex 16 dioecesibus in nostrum Collegium Maximum hospitio recepti sunt. Ipse Princeps Episcopus Cracoviensis consessus est auspicatus, quibus alii duo Episcopi continenter interfuerunt. Quater Nostri disseruerunt: de natura et fine, de ordine et compositione itemque vita interiore, de Sodalitatum fructibus, de earum societate ac foedere; bis externi: de Sodalitatibus discipulorum scholarum mediarum et ruricolarum. Singulas dissertationes excepit magna cum utilitate discussio; ceteris decretis illud praestitit, ut quotannis in Collegio quodam Societatis Moderatorum conventus haberetur, cui Exercitia Spiritualia praemittenda essent.

8. – Patres Prov. Siculae in insula Melita (Malta) studio et labore id obtinuerunt, ut non solum plurimae familiae, scholae et privatae et publicae, varia collegia, officia publica, ut Tabellariorum, Portorii (*dogana*), Montis Pietatis, sed etiam Tribunalia superiora, Studiorum Universitas atque adeo Concilium legibus ferendis Sanctissimo Cordi Iesu se consecrarent. Archiepiscopus Melitensis et Episcopus Gaudisiensis (Gozzo) datis communibus litteris insulanos suos invitaverant ad hunc ritum sollemniter peragendum.

9. – Quantopere accurata paupertatis nostrae legum custodia favorem divinum etiam rei familiari conciliet, apparet ex his quae Praepositus Domus Professae Viennensis magnis difficultatibus oppressae Patri Nostro laetus renuntiavit: " Usque ad initium huius anni quovis die dominico et festo nostri Sodales Mariani ad portas ecclesiae stantes eleemosynas pro templo colligebant. Re cum consultoribus domus et Provinciali collata, ut Institutum nostrum accuratius servaretur et homines ad colendum Deum accendentes minus molestarentur, ab initio huius anni hae collectae suppressae sunt, brevi declaratione populo facta. Ex illo tempore dona pro ecclesia sponte allata ita crescebant, ut triplex, quadruplex et maior etiam summa singulis mensibus evaserit ".

10. – Ne iustum filiorum Societatis exspectationem fallere videar, nunc aliqua etiam referenda censeo de rebus in Curia gestis et de Patris Nostri valitudine.

Cum Urbem hac aestate recens electus Praeses reipublicae Argentinae visitaret, eius apud S. Sedem Legatus Patrem Generalem invitavit, ut salutationibus per illam occasionem celebrandis inte-

resset. Annuit Pater Noster, cumque illum adivisset, munus 300 Missarum pro felici regimine Praesidi obtulit. Mirum quam iucundum huic spirituale donum acciderit; pro quo et palam laetabundus gratias egit et altero die per reipublicae Legatum grati animi sensus denuo exhibuit. Quin in Americam reversus, cum inter sibi eodem pacto gratulantes exciperet duos quoque e Nostris, ipse elata voce, ut omnes qui aderant audirent, professus est horum salutationem sibi esse periucundam, eo vel maxime quod Societatis Iesu Praepositus Generalis Romae eadem sensa protulisset et Sacra pro felici suo gubernio Deo se oblaturum promisisset.

Diem festum S. Wlodimiri hoc anno celebravimus peculiari laetitiae additamento, cum primum accideret, ut duo filii Societatis ex ultimis Sinis oriundi, Patri nostro vota sua nobiscum depromerent, nimirum PP. Franciscus B. Tsang et Iosephus Zi (Miss. Nankinensis, Prov. Franc.) qui tertia probatione peracta et in patriam iam iam redituri Romam a Patre Generali invitati fuerant.

Simul cum numero sociorum et domorum Assistentiae Americae pari gressu etiam aucta est multitudo negotiorum illic in Curiam allatorum: ideo Pater Generalis statuit huic quoque Assistentiae, sicut reliquis, proprium Substitutum attribuere, cuius partes adhuc Substitutus Assistentiae Angliae egerat. Porro, ineunte mense octobri P. Thomas Donnelly e Prov. Missouriana hoc munus inivit.

Patri Generali praeter ordinarios gravissimi sui muneris labores, qui crescente Dei gratia in dies Societate in dies quoque augentur, ultimis mensibus plurima alia negotia instabant sive ex recognitione iuris nostri, sive ex congressu Congregationum Marianarum et ex frequentia ipsum invisentium, qui per occasionem conventus eucharistici Urbem per eos dies impleverant sive tandem idque maxima ratione ex variis necessitatibus planeque novis difficillimae nostrae aetatis indigentiis ut ex auxilio miseris Russiae gentibus ferendo. Quo factum est, ut valetudinis et virum detrimentum caperet, ita ut ex medicorum sententia maiore quadam curatione ipsi opus fuerit. Cum autem ea, quam sex ante annos ipse cum esset in Helvetia, Tuguri (Zürich) fecerat non parum eius vires auxisset, PP. Assistentes eum rogarunt, ut per aliquot hebdomadas labori se subtrahens in eandem urbem secederet. Quare illuc profectus est cum socio P. Stanislao Siemienski,

ratus sibi ut olim tres hebdomadas ad convalescendum sufficere; at medicus statim declaravit, saltem quinque hebdomadas ut curatio revera proficeret, esse necessarias.

Quae Dei benignitas fuit, res bene cessit, et novis auctus viribus die 18 septembris in Urbem rediit, ubi eum gravissima negotia iam exspectabant. Quibus compositis, ad nos in villam Rufinellam se contulit, ut aliquot dies quiete a medicis praescripta frueretur, qua recuperatam valetudinem confirmaret. Sane, licet optatam tranquillitatem gravis de Instituto Orientali ordinando sollicitudo aliquantum disturbaret, tamen ruris gratum silentium ipsi emolumento fuit, ut laeti conspeximus et ipse confessus est. Postquam Curia die 29 septembris in Urbem rediit, statim universa negotia, tractanda suscepit, illo validissimo orationum subsidio fretus, quod filiorum pietas Patri suo conferre nunquam cessabit.

Commendo me ss. SS. et OO.

Romae, die festo S. Stanislai Kostka
13 novembris 1922.

Vestrum omnium servus in Xto.

HENRICUS CARVAJAL

Secr. Soc. Iesu.

IV.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:

P. XTI.

1. - Non sine magno gaudio, ut accepimus, in Societate lecta sunt ea quae superioribus litteris de summa Pii XI erga Patrem Nostrum et Societatem benevolentia animo grato rettulimus. Ad quae nunc nova favoris documenta adiicere eadem pietas iubet. Prima hic nobis offertur audientia Universitati Gregorianae die 21 novembris concessa. Plus quam mille voces iuvenili ardore et laetitia Summum Pontificem salutaverunt, cum sub horam primam post

meridiem, amplissimis aulae suae viris stipatus et Helvetiorum manipulo custoditus, sequentibus universis Athenaei nostri magistris, quos iam antea in aula throni perhumaniter allocutus erat, splendidam aulam Benedictionis quam vocant ingrederetur. Postquam salutantium cantus siluerunt, P. Rector Carolus Miccinelli inferiores throni gradus ascendit et Sancto Patri filialis amoris et oboedientiae sensus nomine magistrorum et discipulorum diserte exhibuit. Quanta benevolentia ad haec Summus Pontifex responderit, tempora illa repetens cum ipse nostrae Universitatis Facultatem Iuris frequentaret, iam in nostris *Actis Romanis* legistis (1), ubi hanc orationem, caritate vere paterna plenam, ex *Osservatore Romano* desumptam, exhibuimus. Peculiari gaudio nobis omnibus fuit ille locus quo in fine Sanctus Pater dixit, sibi quoque in votis esse, quod P. Rector demisse significaverat, ut egregius ille et sanctissimus Universitatis Gregorianae magister, Ven. Card. Bellarminus, mox in Beatorum albo inscriberetur.

Imaginem photographicam hac occasione factam quae professores et alumnos Universitatis exhibet, Papa in proprio cubiculo omnibus ingredientibus conspicuam asservat. Ipse vero nuper (die 19 febr.) suam effigiem depictam Universitati Gregorianae dono misit.

Sed illud maius, quod die S. Francisci Xaverii sacro, Patri Nostro multo mane ex aedibus Vaticanis allata est Epistola Apostolica " *Meditantibus Nobis* „ (2) manu ipsius Pontificis subscripta, quae omnia, sive conceptus bene notos sive adiuncta studiose quaesita consideres, inusitatam benevolentiam prae se ferebant.

Paucis hebdomadis post, die 23 decembris, SS. Dominus Consilium Romano-Hispanicum saecularibus sollemnibus SS. Ignatii et Francisci Xaverii in Urbe promovendis institutum admisit et postquam excepit illius grati animi et filialis observantiae sensus, a Consilii secretario, P. Petro Tacchi Venturi, depromptos, librum saecularem cui titulus " La Canonizzazione dei Santi Ignazio di Loiola... e Francesco Saverio „ sibi oblatum magna cum comitate libenter accepit et volumen affabre exornatum cum docta et attenta pristini bibliothecarii curiositate statim percurrit ac dilaudavit. Postea ad singula quae P. Tacchi Venturi disseruerat animum applicans, benigne respondit, magna vi imprimis repe-

(1) *Act. Rom.*, III (1922), pp. 429 sqq.
(2) *Act. Rom.*, III (1922), pp. 412 sqq.

tens quae iam in Epistola Apostolica exposuerat: Ignatium Exercitiis Spiritualibus mundum interiorem aedificasse, Xaverium autem virtute ab Exercitiis hausta regni Christi terminos apostolatu extendisse.

Praeterea honoribus S. Parenti nostro hoc anno saeculari tributis Pius XI adiecit extremum, at nequaquam minimum, cum ultimis anni diebus iuberet decretum fieri, quo festum S. Ignatii ad ritum duplicis maioris pro tota Ecclesia eveheretur (1), qui ritus in calendario universali non tribuitur nisi perpaucis Sanctis, ut sunt tres illi magni fundatores SS. Benedictus, Dominicus, Franciscus Seraphicus et noster quoque Franciscus Xaverius.

Interea etiam accepistis novam Summi Pontificis epistolam " *Inter multa* „ die 23 ianuarii datam (2), qua Patri Generali totique Societati gratias agit ob eleemosynas pro Russia sive a Nostris datas sive apud discipulos et Apostolatus Orationis socios vel in Missionibus collectas. Quae Summus Pontifex ibi de promptitudine Societatis explendi S. Sedis vota atque de prudenti sollertia Patris Nostri in gubernanda Societate et " in plurimis catholicae fidei caritatisque operibus „ promovendis dicit, animos nostros et gaudio filiali afficiunt et novos iis stimulos iniiciunt cum S. Sedi ad mentem Parentis nostri semper fidelius atque alacrius serviendi, tum Vicarii Christi amorem in nobis aliisque nostrae curae commissis ardentiorem excitandi.

Qua voluntate Sanctus Pater Institutum Orientale nostris curis commissum prosequatur, quanto gaudio eiusdem laeto progressu afficiatur, satis clare demonstravit, cum die 22 februarii Instituti Praesidem, P. Michaelem d'Herbigny, summa cum benignitate excepit et quamquam plurimi admissionem exspectabant, per plus quam horam retinuit. Immo Patrem, qui res suas quam brevissime proferre vellet, ne pretiosum Summo Pontifici tempus adimeret, hic contra adhortatus est ut Instituti statum, tempori non parcens, cum omni libertate exponeret atque ipse etiam iterum iterumque de studiis aliisque rebus est percontatus.

2. – De itinere vere glorioso, quo S. Francisci Xaverii Brachium totam fere Hispaniam primum ac celeberrimas quasdam deinde Galliae urbes peragravit, nunc autem Italiam septemtrio-

(1) *Act. Rom.*, III (1923), p. 507.
(2) *Act. Rom.*, III (1923), p. 508.

nalem, exsultantibus ubique populis, visitat, iussu Patris Nostri libri hispanice et italice iam conscribuntur qui in varias linguas vertentur ut omnibus appareat quam magna gloria Dominus Deus fidelem servum denuo cumulaverit. Tamen pauca aliqua de hac re iam nunc nuntianda videntur grati erga Deum animi et erga Sanctum pietatis et cultus causa.

In Castellum Xaverianum, uti superioribus litteris diximus (1), delatum, Brachium difficile dictu est quanta honoris et amoris significatione quantaque reverentia a popularibus exceptum sit: instituebantur peregrinationes ad sacras reliquias venerandas, nocturnae sanctissimi Sacramenti adorationes, Communiones generales virorum et mulierum ita ut honores sancto Civi tributi largis caelestium gratiarum fluviis in fideles redundarent. Inter pios peregrinos die 23 septembris undequaque in castellum Xaverianum confluentes Rex quoque Hispaniae cum praeside Consilii Ministrorum advenit et interfuit Missae sollemni quam Archiepiscopus Hispalensis pontificali ritu celebravit, Em. Card. Caesaraugustano (Zaragoza) et 12 Episcopis adsistentibus.

Cum, uti par erat, Navarra eique finitimae provinciae, primas in colendo suo cive partes haberent, tamen aliae quoque regni urbes eadem opportunitate carere noluerunt. Quare insignes reliquiae primum per complures regionis septemtrionalis urbes et oppida devectae sunt, deinde per partem centralem Matritum deletae, postea in regionem meridianam usque ad sinum Gaditanum, denique per praecipuas civitates orientalis partis regni portatae.

Quocumque venerandum magni Indiarum Apostoli Brachium ferebatur, summis honoribus a Praelatis, a Clero saeculari et regulari, a Gubernatoribus civilibus et militaribus excipiebatur: cum Pampelonam inferretur, honores militares summo duci (Capitán General) debiti ei exhibiti sunt; Matriti curru domus regiae a statione viae ferreae in ecclesiam cathedralem est deductum.

Cum interdiu populus in publicas ecclesias accurreret ad sacram manum deosculandam et venerandam, noctu eam in sacello modo huius, modo illius monasterii sacrae virgines, vigiliae molestias pro tanta gratia in deliciis habentes, precibus honoribusque colebant.

Qui in aliis tantam erga se religionem tantumque pietatis

(1) V. supra, p. 14.

studium excitaverit, supervacaneum videri potest commemorare quantum Xaverius in fratribus suis operatus sit quos, sicut in vita eorum nomina supra pectus descripta portabat, ita nunc in caelo praesentissimos certe habet. Itaque sanctum Brachium in quattuor singularum Hispaniae Provinciarum tirocinia, in omnes Scholas Apostolicas, in Collegia Maxima portatum et in his domibus per totam noctem sacris excubiis aliisque honoribus cultum, in Nostrorum animis vocationis castum amorem et missionum inter ethnicos desideria novo fervore accendit. Neque minor in aliis plurimis Societatis domibus, quae eadem opportunitate atque gratia fruitae sunt, pietas, honoris significatio fuit fructusque spiritualis exstitit.

Barcinone demum, quae urbs aliis nihil cessit pietatis et venerationis officiis, in Galliam sacrum Xaverii Brachium defertur.

Quo brevius tempus tolosanorum primum, burdigalensium deinde et parisiensium civium pietati concessum fuit, eo maiore studio atque numero accurrerunt ad osculandum Brachium, per quod divina Omnipotentia tot tantaque in animis et corporibus miracula patravit. Neque nostris temporibus manum Dei in extollendo Sancto suo abbreviatam esse, laetae grataeque illae tres moniales proclamant, quae Tolosae, Burdigali, Parisiis interposito S. Francisci Xaverii patrocinio a morte certa et proxima se mire servatas esse profitentur. Curia archiepiscopalis Tolosana de portento, quod in illa urbe factum referunt, processum canonicum instituit.

Ex Hispania quoque variae, aliae ex Gallia, complures ex Italia septemtrionali et India mirae sanationes S. Francisci Xaverii intercessione obtentae nuntiantur.

Par erat ut etiam Lugduno, urbi antiqua fide et Missionum studio semper illustri, desiderata facultas fieret magnum propagatorum fidei Patronum venerandi; Massilia quoque, ex cuius portu tot missionarii in terras longinquas solvunt, sanctum Indiarum Apostolum maxime salutavit. Cum fines Galliae iam relinquerentur, in statione viae ferreae dominus quidam, qui se ipse ministum protestanticum dixit, a Patribus hunc summum, uti ait, honorem expetivit, ut sibi quoque, nisi nimis indignus haberetur tanto favore, facultas fieret deosculandi manum eius quem ipsi quoque protestantes existiment summum missionarium. Quid

tanto amori tantaeque humilitati negari potuit? Cum ille post osculum se erigeret, obortae in eius oculis lacrimae cernebantur.

Romae sollemnia in honorem S. Francisci Xaverii celebranda Apostolatus Orationis susceperat; fideles, viri praesertim, contionibus per novem dies festo praeparando praemissis frequentes intererant: ipso die 3 decembris, praeter alios bene multos aderant 2000 legatorum, qui omnium italicacum Apostolatus Orationis sedium obsequium palam testarentur. Vespertinorum autem eiusdem diei rituum in parte fuerunt, praeter Scholasticos nostros et nobilissimos Consilii romano-hispanici socios, centum alumni Collegii de Propaganda Fide ex variis mundi regionibus, qui suarum quisque gentium nomine, publicos Orientis Apostolo honores tribuerent.

Vix Romani suae erga Xaverium pietati satisfecerant, cum Taurinenses iam eandem opportunitatem sibi exspectabant. In Pedemontii urbe primaria aliisque Italiae septemtrionalis civitatibus oppidisque, omnes civium ordines, ecclesiasticus magistratus ac civilis, religiosae, nobiles, opifices ad venerandas Xaverii reliquias ingenti multitudine et eximia pietate confluxerunt et confluunt; ubique fere constituta ex viris primariis sollemnium peragendorum consilia, insolita ad sacramenta frequentia, peccatorum ad Deum reditus plurimi, ita ut sancti Brachii transitus " missio „ vulgo appellaretur; multi multis in locis aegri saluti restituti, quorum historia nunc diligenti iudicio conscribitur. Gratia vero peculiaris habenda est huic Propagandae Fidei Patrono, quod eius itenere novum universae gentilitatis convertendae studium in omnibus partis excitatum sit. Post Italiam septemtrionalem et mediam nunc etiam neapolitana regio, urbes meridianae, Sicilia insula magno ardore sibi efflagitant gratiam videndi et venerandi manum illam, qua tot animis caeli portae apertae sunt.

Goae in India die 3 decembris corpus S. Francisci Xaverii venerationi fidelium expositum est, postquam pridie in sacristia templi Boni Iesu (Bom Jesus), praesentibus Delegato Apostolico, RR. DD. Petro Pisani, atque Archiepiscopo Goano aliisque Episcopis et Gubernatore Generali Indiae Lusitanae, aperta fuerat arca pretiosa, qua Sancti corpus reconditur. Die festo quinque Episcopi et Decanus Capituli Metropolitani inter ingentem peregrinorum multitudinem undique irruentem sacras exuvias humeris suis ex sacristia in templum ante altare maius deportarunt. Corpus, quod iam pridem amiserat recentem illum colorem et carnis mol-

titiem, quae multos annos post Sancti mortem retinuerat, ut testes fidi descripserunt, in dies magis siccum et contractum apparet. Dicunt 200.000 hominum, non e catholicis tantum sed etiam e protestantibus, parsis, mahumetanis, buddhistis et ex omnibus fere Indiarum partibus, ex Mozambique, ex Iaponia ipsa ad S. Xaverii pedes accurrisse.

3. – In Belgii oppidulo Brecht prope Antverpiam, ubi Servus Dei Leonardus Lessius ortum habuit, die 15 ianuarii acta est memoria tertio saecularis decessus huius viri clarissimi. Missam sollemnem celebravit Dr. Bittremieux quem Universitas Lovaniensis ad haec sollemnia deputaverat. Cum aliis hospitibus aderant quoque RR. DD. Van Roey, Vicarius Generalis Mechliniensis, P. Ferdinandus Willaert, Praepositus Provinciae Belgicae, aliique nostri Patres. Verba fecit de Servo Dei Causae Vicepostulator, P. Carolus Van Sull. Exposita sunt etiam piis visitantium oculis opera Lessii aliaeque res atque documenta, quae sive ad Servum Dei sive ad eius familiam pertinent. In primis admirationem et pietatem excitabat doctissimi et sanctissimi viri cerebrum quod Collegium Lovaniense asservat thesaurum pretiosum et venerandum. Eiusdem Collegii Patres memoriam saecularem iam anticipaverant modo suo et indoli magni viri sane congruenti: opera enim ascetica, philosophica, theologica quae conscribunt, in pietatis erga Servum Dei significationem eius nomine — Musaei Lessiani — in unum colligunt, quod sit quasi continuatio quaedam celebris lovaniensis Doctoris institutionis et disciplinae.

Pater Generalis Postulatori nostro commisit ut ex sua parte faceret ea quae conducerent ad incipiendas causas R. P. Ioannis Roothaan, Praepositi Generalis (Prov. Rom. † 1853), P. Hermanni Glandorff (Prov. Germ. Inf. † 1763), P. Caroli Odescalchi (Prov. Rom. † 1841), P. Friderici Tornielli (Prov. Taur. † 1876), P. Nicolai Rodriguez (Prov. Cast. † 1900), P. Francisci de P. Tarin (Prov. Tolet. † 1910), P. Henrici Auffroy (Prov. Camp. † 1914).

Congregatio Generalis super duobus miraculis Ven. Servi Dei Roberti Bellarmini quae in diem 17 mensis aprilis indicta erat, iam 10 die eiusdem mensis habebitur.

4. – Ne rem memoria dignam, quamquam Societati minime optatam, negligentia praetermittere videamur, aliqua referemus de creato Cardinali R. P. Francisco Ehrle (Prov. Germ. Sup.). Ut

primum Pater de hac Summi Pontificis voluntate certior factus est, sine mora et Patrem Nostrum de ea edocuit et apud Em. Cardinalem Secretarium Status quantum potuit institit, ut hunc honorem a se averteret. Quin Sanctum Patrem adiit ad eiusque pedes procumbens validas voti, provectioris aetatis, maioris boni cum Ecclesiae tum Societatis aliasque rationes attulit, quae Summum Pontificem a consilio suo dimoverent. Sed hic firma tranquillitate, ut solet, in suo decreto perstitit, ita ut nihil reliquum fuerit quam cum summa erga Christi Vicarium reverentia eiusdem certae determinataeque voluntati oboedire. Pius XI, cum die 13 decembris birreta rubra novis Cardinalibus distribuens eorumque merita, ut in more est, commemorans, ad Em. Cardinalem Ehrle venisset, eum amplissimis verbis laudavit utpote qui optime meritus esset de viris doctis et de religione, de scientia et de Sancta Sede. Praeter alia multa quae Card. Ehrle egregie praestitisset ad eius laudem satis esse commemorare eum, favore Leonis XIII adiutum, Bibliothecam Vaticanam mira industria tam bene ordinasse atque instruxisse ut viri docti ex orbe universo in eam confluant, quae eximium studiorum instrumentum et vera officina quaedam operum eruditorum evaserit, ita ut Patris labores essent longe evidentissima apologia illius veritatis : non esse pugnam inter fidem et scientiam... In Cardinalatus dignitate conferenda se praecucurrisse illis honoribus quo viri docti ad octogesimum Patris annum fauste celebrandum undique afferre intenderent : id suo se iure facere potuisse, atque adeo quodammodo etiam debuisse, sicut sciant omnes qui aliquando se illi vidissent succedere in munere, cui Cardinalis tantum splendoris addidisset.

Eiusdem creatio, omnibus quidem probata, maximam tamen laetitiam administris bibliothecae Pontificiae attulit, qui gratis animis sinceroque amore pristinum Praefectum prosecuti, ei galerum rubrum dono dederant. Habitationem sibi elegit novus Ecclesiae Princeps in Collegio Pio-Latino Americano. Antequam illuc se conferret, Socios Instituti Biblici suo erga Societatem amore vehementer in Domino delectavit ; sincera enim sui demissione, post academiam quam illi Sodales in suum honorem habuerant, illis valedicens scandalorum, uti dixit, suorum veniam palam petiit, consueta apud nos culpae formula fere ad verbum recitata ; se optimam totius vitae institutionem professus et Societati, matri suae optatissimae, merito tribuere quae se etiamtum puerum re-

cepisset et finivit dicens sola oboedientia coactum se purpuram acceptasse.

Eodem fere tempore alii duo Patres, voluntati Sanctae Sedis et Ecclesiae necessitatibus cedentes, dignitates subire debuerunt: P. Antoninus Zecchini (Prov. Ven.) Archiepiscopus titularis Myrensis est creatus, ut munere Delegati Apostolici in Lithuania, Lettonia, Esthonia fungeretur, quas terras anno superiore Visitator Apostolicus peragraverat, et P. Paschalis Diaz (Prov. Mex.) est praefectus Ecclesiae Tabasquensi (Tabasco), quae regio ad radices peninsulae Yucatan iacet. Quorum munerum susceptio eo fit tolerabilior, quo maiore paupertate splendent, adeo ut in iis fere id locum obtinere videatur quod S. Parens operis suscipiendi aliquam rationem adducit: " alios non esse qui iisdem vacent „ (1).

R. P. Antoninum Zecchini in parvo Universitatis Gregorianae templo, S. Machuti sacro, consecravit Em. Card. Frühwirth, ex Ordine Praedicatorum, qui erga Societatem verba sinceri amoris habuit et imprimis sibi in votis esse dixit ut S. Dominici et S. Ignatii filii, solam maiorem Dei gloriam quaerentes, corde et opere coniuncti, ad Christi regnum dilatandum strenue semper et ubique adlaborarent.

5. – Hoc anno iubilari Societati non defuerunt promissae insectationes. RR. DD. Aloisius Muñoz, qui haud ita pridem Ecclesiae Guatimalensi a S. Sede praefectus erat, die 7 sept. a. 1922 summo mane hora 5 $^1/_2$ militum armatorum manu ex aedibus suis atque etiam e finibus rei publicae eiectus est. Decretum expulsionis autem post allatas rationes machinationum politicarum aliorumque id genus criminum quas refellere Archiepiscopo non arduum erat, hanc adduxit, RR. DD. Muñoz esse membrum Societatis Iesu, cui lege publica aditus in Guatimalam prohiberetur. RR. Dominus se recepit ad Nostros degentes in re publica Sancti Salvatoris, a cuius Praeside, contra consilium et petitionem gubernii guatimalensis, amicissime exceptus est.

Vi atque violentia graviores sunt insectationes calamo et atramento Societati ultimis temporibus illatae.

Neque enim in praesentia impetimur solummodo garrulis aut impiis ephemeridibus, quae nota lucri cupiditate ad maledicendum excitatae aut ipsa sua manifesta perversitate minus noxiae red-

(1) *Const.* P. VII c. 2 n. 1, E.

duntur, verum etiam graviorum fasciculorum librorumque colluvie, qui saepissime, sub ementitam religionis speciem veteres calumnias instaurant novisque cumulant. Quod, sive ordinem et delectum argumentorum inspicis, sive inusitatum zelum hos libros longe lateque, posthabito lucro, imo non sine ingentibus sumptibus spargendi sive pertinacem conatum eos obtrudendi potissimum curiis ecclesiasticis, seminariis clericorum, domibus religiosis, satis clare demonstrat latere potentem aliquem hominum coetum, cui propositum sit nomen nostrum ibi potissimum maculare, ubi maxime nobis expedit illud indemne conservare.

Ut aliquid magis definitum exempli gratia afferamus, anno praeterito cum memoriam centenariam NN. SS. Patrum celebrabamus, prodiit versio gallica perversissimi operis Michaelis Mir (1), vero odio in S. Ignatium exundantis; hoc anno cum beatificationem Ven. Bellarmini laeti speramus, vetera in eum odio recoquunt in libello cui titulus: " Un Saint Jésuite – La Cause du V. Bellarmin „. Ad diffundenda alia similia opuscula scimus, impensa esse Romae fere centum millia libellarum.

Atque haec quae in Gallia coepta sunt et inter nationes latinas potissimum diffundebantur, nunc etiam in alias regiones derivantur.

6. – Cum Provincia Hungariae novam domum in urbe Mezökövesd aperire statuisset, hac re laeti, fideles non solum magnam pecuniam contulerunt ut sacellum aedificari et domus acquiri posset, sed etiam ultro obtulerunt operam suam in aedificando gratis praestandam. Itaque non sine animi commotione Patres viderunt pueros et puellas, senes et vetulas carris afferentes arenam, saxa aliaque ad aedificandum necessaria.

Provincia Poloniae laeta vocationum frequentia abundans iam ex aliquo tempore alterum tirocinium Calissii in parte rei publicae septemtrionali-occidua instituendum paraverat. Magnis difficultatibus superatis tandem Collegium et Ecclesia antiqua PP. Bernardinorum, quae Ordinarius dioecesis Vladislaviensis Nostris tradiderat, haud levibus sumptibus refecta sunt, ita ut aedificia die 20 octobris parata essent ad novum Magistrum et 20 Novicios Coadiutores, recipiendos, qui illo die Staraviesia advenerant. Secum attulerunt, caelestis patrocinii pignus, insignes reliquias S. Sta-

(1) Cfr. *Act. Rom.*, III (1923), p. 550.

nislai a Patre Nostro novae Domui Probationis destinatas. Hanc primam turmam brevi 25 Novicii Scholastici secuti sunt et die 19 novembris, quo festum S. Stanislai in foro publico celebrabatur, Domus ab Ordinario loci, praesentibus duobus Em. Cardinalibus Poloniae et tribus Episcopis, benedictione communita est. Ad haec sollemnia Novicii Exercitiis Spiritualibus, populus missione parati erant. Inter Missam pontificalem a Cardinali Primate celebratam verba fecit ad populum Praepositus Provinciae grato animo extollens merita PP. Bernardinorum, quorum Provincialis invitatus aderat neque a lacrimis temperare poterat.

Missio Australiana (Prov. Hib.), ab Archiepiscopo Melbournensi rogata, novi Seminarii Provinciae Ecclesiasticae Melbournensis in eiusdem nominis urbe nunc erigendi curam suscepit. Adhuc enim in Australia unum tantum Seminarium in urbe Manly (prope Sydney) erat, cui moderatores PP. Lazaristae magno studio praesunt. Crescentibus autem in dies Ecclesiae Australianae necessitatibus, Archiepiscopus Melbournensis Provinciae suae proprium curavit Seminarium instituendum: quod die 4 huius mensis benedictione Exc. Delegati Apostolici inauguratum est.

Tristissima calamitate afflicta est Provincia Canadensis, cum die 25 novembris noctu Collegium in urbe S. Bonifatii paucis horis immani incendio penitus consumptum est. Collegium habebat 343 discipulos, e quibus 154 convictores. In aedificio lignis, ut illarum regionum consuetudo fert, maximam partem exstructo, incendium tanta celeritate propagatum est ut, quamquam praefecti nostri et sacerdotes saeculares omni fortitudine et prudentia alumnos ad fugam capiendam excitarent adiuvarentque, novem tamen pueri non prius flammis combusti, quam fumo densissimo suffocati, misere perierunt. E Nostris Fr. Coadiutor Fridericus Stormont eadem sorte occubuit. A iudice qui de infortunio inquisivit, Collegii praefecti publice laudati sunt et vigilum dux P. Provinciali dixit eius subditos egregie se gessisse. Archiepiscopus urbis, RR. DD. Béliveau, olim Collegii alumnus, hac occasione grati animi et sinceri amoris beneficia, quibus semper Societatem prosecutus est, cumulavit, cum Collegium nostrum, Patres alumnosque, in suum seminarium recepit eiusdemque curam, propriis magistris ad alia sacerdotalis ministerii munera cum magna sua eorumque abnegatione dimissis, Nostris demandavit. Patribus die Nativitatis ad prandendum in domum suam invitatis dixit: " Scitis Patres mei, hanc esse domum vestram paternam „.

Anno 1922 Familia nostra aucta est circiter 335 sociis; quod incrementum, si maioris hoc anno mortuorum (317) numeri debita ratio habetur, 16 tantum minus apparet quam anni superioris (426 et 242 mortui).

7. – Ad opera nostra iam progredientibus prima nobis se offerunt Exercitia Spiritualia, omnibus S. Ignatii filiis carissima.

Perhonorificam honoris coronam S. Parenti hoc anno tertio saeculari ab eius canonizatione nexuerunt 672 illae litterae, quibus Ecclesiae Praelati omnis ritus et ex fere omnibus orbis partibus, etiam e remotissimis Mandschuriae regionibus, a S. Sede petiverunt ut S. Ignatius Exercitiorum Spiritualium atque omnium operum ad ea spectantium caelestis Patronus declararetur (1).

Nostri autem, ut ex litteris relationibusque clare apparet, Patris Generalis adhortationi fideliter atque filialiter obsecuti, annum saecularem canonizationis potissimum celebrarunt maiore cum ardore operam dando Exercitiorum studio et ministerio.

Ut libri Exercitiorum notitia et usus frequentiora et faciliora fierent, Nostri illum in diversas transtulerunt linguas, quas inter cechica videtur nominanda, quia nunc primam obtinuit translationem ex lingua hispanica ipsa factam; interpretatio germanica, exeunte anno 1921 vulgata, tanta aviditate expetita est ut post sex menses denuo edi deberet.

Consilium condendae bibliothecae Exercitiorum a P. Henrico Watrigant (Prov. Camp.) primum conceptum et exsecutioni mandatum in aliis quoque Provinciis fructus tulit, cum nunc non solum Oeniponte in Austria, ut proximis litteris narravimus, sed etiam in Exercitiorum patria, Manresae, a Provincia Aragoniae Exercitiorum Spiritualium bibliotheca instituatur.

Quod ad historiam Exercitiorum attinet, P. Carolus Leonhardt (ex Prov. Germaniae Sup. ad Argentino-Chilensem applicatus) iam ex multis annis historiae nostrae inquirendae deditus, hoc anno saeculari magnum volumen documentorum collegit, quae opus Exercitiorum in antiquis Provinciis Paraquariae et Chilensi susceptum nova luce novoque splendore illustrant. Volumen P. Leonhardt, cum saecularis Exercitiorum et canonizationis SS. Ignatii et Francisci Xaverii memoria in urbe Buenos Aires ageretur, ab

(1) Cfr. *Act. Rom.*, III (1922), pp. 485 sqq.

Academia del Plata quam vocant, sollemni atque frequenti congressu, praemio donatum est.

De conventu Exercitiorum Oeniponte habito superiore epistola rettulimus (1). Eius acta typis exscripta nitido libello nuper edita sunt.

Patres Prov. Aragoniae Barcinone, dum illuc portatur Brachium S. Francisci Xaverii, a die 4 usque ad 12 novembris " Hebdomadam Ignatianam „ instituerunt. Tribus sectionibus in quibus de Exercitiis Spiritualibus et Missionibus tractaverunt, relatores fuerunt: sacerdos saecularis, alius e Congregatione Immaculati Cordis Mariae, et unus e Nostris. In sessione publica RR. DD. Franciscus Frutos Valiente, Episcopus Iacensis, dixit de Exercitiorum ad nostra tempora momento et Em. Card. Franciscus Vidal y Barraquer, Archiepiscopus Tarraconensis, congressui oratione finem imposuit.

Manresae, a die 2 aprilis (feria II Paschatis) usque ad 6 aprilis huius anni, Nostri de Exercitiis clausis in Hispania promovendis consilia conferent. Praeterea ibidem initium fiet libello periodico, cui titulus erit: *Manresa*. Quarto quoque mense edetur atque exhibebit, quae in re Exercitiorum ubique fiunt quaeque de iis scribuntur.

Cum tirocinio Neapolitano, ob numerum Noviciorum feliciter auctum, secessum peracturi fere iam non recipi possent, Divina Bonitas tempore providit. Nam Dux Ernestus del Balzo Supremo Equitum Melitensium Ordini villam prope Neapolim obtulit, ea lege ut opere quodam in communem populi utilitatem ibidem instituto memoria mortuae uxoris, cui nomen Walpole, posteris traderetur. Magnum autem Ordinis Consilium decrevit huius domus usum Nostris concedere, ut Domum Exercitiorum in eadem constituerent. Donatoris liberalitas etiam providit sumptibus faciendis ut villa huic fini aptaretur.

Romae solis tribus ultimis praeteriti anni mensibus apud Nostros in villa Carpegna sacrum secessum peregerunt tres Cardinales et tres Archiepiscopi, inter quos RR. DD. Iulius Tiberghien, qui paulo post ad praemium aeternum accipiendum vocatus est.

Exercitia menstrua pro sacerdotibus saecularibus, anno 1912 in Provincia Taurinensi feliciter a P. Petro Martini coepta, optimo

(1) V. supra, p. 13.

successu ibidem quotannis instaurantur: ex amplius 27 qui petiverant ut ad secessum peragendum admitterentur, 18 selecti sunt. Ardor quo sacerdotes haec Exercitia petere solent, tantum abest ut minuatur, cum ea peragunt, ut contra in dies augeatur et secessu finito omnes profiteantur hunc mensem beatissimum vitae tempus fuisse.

Patres galli quoque eandem opportunitatem Exercitia S. Ignatii penitus proprio usu cognoscendi sacerdotibus saecularibus praebuerunt. In Belgio clerus saecularis semper frequentior ad octidua simul peragenda in domos nostras venit.

Domus Alkensis (Prov. Belg.) anno 1922 recepit iuvenes limburgenses 833 qui sacro secessu ad stipendia in castris merenda se praepararent.

In domo Exercitiorum Rathfarnhamensi (Prov. Hib.), mense ianuario anni superioris aperta, per quinque primos menses amplius 1200 viri sacra Exercitia peregerunt. Supremus Dux exercitus hibernici sub finem mensis ianuarii huius anni patrem Provincialem rogavit ut centurionibus et tribunis turmatim Exercitia Spiritualia traderentur. Quin in ipsis castris Dublini 80 milites sacrum secessum peregerunt.

Ut Exercitiorum fructus conservetur atque augeatur, plurimum conferunt " Recollectiones Sacerdotales „ quas Nostri pro variis regionum condicionibus sive menstruas sive, ut melius praeparari et facilius frequentari possint, trimestres adhibent. Quo accuratius in iis ordo Exercitiorum, in quantum fieri potest, et praesertim silentium servatur, eo maiores cernuntur non solum fructus, sed etiam sacerdotum alacritas et gaudium. Em. Card. Alexius Charost, Archiepiscopus Rhedonensis (Rennes), cum galerum rubrum accepturus mense decembri in Urbem venisset, Patri Nostro multum laudavit operam utilissimam quam Patres ponunt in suae dioecesis clerum recollectionibus trimestribus fraterne adiuvandum. Exoptavit ut pro summo huius ministerii momento Patres ad idem destinati ab aliis omnibus occupationibus liberarentur, ut magnae et iustae sacerdotum exspectationi plene satisfacere possent.

In Belgio has recollectiones sacerdotes tanto desiderio frequentant, ut non defuerint qui hora tertia surgentes 15 kilometra frigidissimo hiemis tempore pedites percurrerent, ut optata spiritus refectione gaudere sibi liceret; nec minore erga Deum liberalitate senex venerandus 80 annorum viam unius leucae eo-

dem modo peregit. In sola dioecesi namurcensi, quamquam pro temporum caritate et itinerum molestia haud leves difficultates superandae erant, primum 608 sacerdotes, tertio autem trimestri, quamquam in hieme, etiam 744, sponte ad recollectiones convenerunt.

In Domo Exercitiorum Quebecensi (Villa Manrèse, Prov. Can.) a mense ianuario huius anni pro laicis quoque, qui ibidem secessum peregerunt, recollectiones menstruae institui coeptae sunt cum eorum non parva utilitate et operis ipsius maiore notitia.

8. – Universitas Gregoriana, quae iam se accingit ad saecularia suae restitutionis sollemnia proximo anno agenda (1824–1924), numero alumnorum maximam, quam ante bellum attigerat, frequentiam nunc fere aequat (1912: 1077; 1913: 1088; 1914: 1107; 1922: 1079) et, novis cathedris institutis aliisque cursibus pro sacerdotibus et etiam laicis adiectis, auctoritate in dies crescit. Id manifesto apparuit, die 9 novembris, cum curriculum Instituti Culturae Superioris Religiosae pro laicis instauraretur. Aderant tres Eminentissimi Cardinales aliique Praelati; aula magna Universitatis redundabat viris classium cultiorum: non deerant nobiles patricii, romani, professores publicae Universitatis, magistratus, duces militares, medici, iuris periti et in primis ipsi Iuventutis Catholicae Italicae moderatores.

Neapoli novum Collegium externorum autumno apertum est, post longam et ancipitem deliberationem; fuerant enim qui timerent scholam, utpote nimis a media urbe distantem, non multos habituram discipulos. At ecce, adeo multi admissionem petierunt, ut 400 receptis (e quibus 320 semiconvictores), alii 200 remitti deberent. Parentes vero Nostris dixerunt: " Proxime positas scholas publicas ubique inveniremus; sed vestram educationem pueris nostris omnino quaerimus; ideo etsi Collegium vestrum in dissito maris scopulo posueritis, scaphis eo adveheremur ".

Professores Facultatis Theologicae Oenipontanae (Prov. Austriae) superiore hieme instituerunt seriem lectionum publicarum ad quas audiendas accesserunt ad 200 homines classium cultiorum.

Schola Superior Commercialis Antverpiensis *(Institut Saint-Ignace*, Prov. Belg.) hoc anno 1922–1923 discipulos 238 habet,

quibus praeter alias tres nunc quartam viam aperuit. Postquam enim biennio studiorum omnibus communium peracto licentiatus commercialis diploma adepti sunt, trivium ad hoc usque tempus illis patebat: sectio commercialis gradus superioris, sectio consularis, sectio nummaria. Quibus hoc anno quarta est addita maritima, in qua alumni iis praesertim disciplinis excoluntur, quibus instructi sint oportet quicumque mercibus exportandis in varias orbis regiones, praecipue in transmarinas, operam dare intendunt. Cum schola " Ministerii Laboris et Industriae „ subsidiis iuvetur ideoque eiusdem inspectioni subiecta sit, novae sectionis maritimae approbatio ab huius Ministerii Praefecto, cl. D. Moyersoen, expetenda erat. Iamvero hic, olim alumnos Collegii Alostani, libenter arripiens occasionem grati animi sensum erga Patres pandendi, honorificis verbis sectionem approbavit.

Die autem 6 decembris superioris anni eidem Instituto ius concessum est tribuendi titulum " Doctoris disciplinarum commercialium „; diplomata a Ministro Laboris et Industriae subsignata vim publicam obtinebunt.

Provinciae Belgicae Patres in praesentia docent 7443 discipulos, e quibus 456 cursus superiores frequentant, 3783 scholas latinas, 1416 scholas linguarum recentiorum, 1788 praeparatorias classes.

Collegia nostra in Statibus Unitis et in Provincia Canadensi, secundum indicationes exhibitas in *The Woodstock Letters* (1), mense octobri a. 1922 discipulos 39.739 habuerunt, 14.930 in cursibus superioribus, 24.809 in mediis atque praeparatoriis.

9. – Pulchrum exemplum mutui inter clerum saecularem et Nostros auxilii in domo Dziedziensi (Prov. Poloniae) praebitum est. Cum enim in dioecesi kielciensi regularium numerus non esset satis magnus ad omnes missiones quae petebantur habendas, sacerdotes saeculares, zelo animarum pleni, ipsi hoc ministerium in se susceperunt eosque Nostri in Domo Tertiae Probationis quibusdam institutionibus ad rationem Societatis Exercitia populo praedicandi accommodatis erudivere. Adfuerunt 17 sacerdotes et summa voluntate audierunt, quae diuturno usu probata missionarius veteranus iis proposuit.

Patribus Iugoslaviae contigit missionem eamque post duo

(1) Vol. 51, n. 3, pp. 468 sq.

fere saecula primam instituere Belgradi (Beograd). Haec urbs, Serbiae caput, ex 100.000 incolarum decem milia catholicorum numerat. Contionibus de notis verae Christi Ecclesiae etiam schismatici interfuerunt. Communio generalis autem discipulorum et fidelibus et missionario maximo solatio fuit. Etiam gymnasii moderator, vir schismaticus, cum ipse vidisset, quo ordine, qua pietate 193 pueri ad mensam Domini accederent, postea sincere cuidam confessus est: " Frater, hoc apud nos non habetur „.

In catholicis autem Iugoslaviae regionibus habitae sunt hoc anno inter Slovenos 20, inter Croatas 21 missiones; talis erat optimi populi gratus animus erga duos Patres, qui 11 parochias dioecesis diakovensis perlustrarunt, ut non semel 60 currus et equites missionarios ex uno loco in alium honoris causa prosequerentur.

10. - In nonnullis Provinciae Anglicae templis habetur fidei nostrae explicatio peculiariter accommodata ad acatholicorum mentes, ut hi eius veritatem suspicati ad cursum ordinatum plenioris institutionis veniant. Cum ut plurimum 10-30 invitationem acceptare soleant, in tempo S. Wilfridi urbis Preston fere 300 nomina dederunt; res inaudita in hac urbe, quia adhuc protestantes nescio qua verecundia a templo catholico ingrediendo prohibebantur.

Etiam hominibus laicis diligenter paratis et zelo apostolico praestantibus ab auctoritate ecclesiastica in Anglia facultas fit doctrinam catholicam in viis atque plateis publice praedicandi et defendendi. Nunc Collegii Stonyhurstensis discipuli maiores, qui id volunt, in hac peculiari apologiae arte excoluntur et diplomatibus, si examinatoribus satisfecerint, munientur.

A solius Provinciae Anglicae Patribus anno 1921 ad sanctam Matrem Ecclesiam reducti sunt 1369 protestantes, a Provincia Marylandiae-Neo Eboracensi (ex mense iulio a. 1921 ad iulium a. 1922) 1311. Ne tamen his aliisque laetis fructibus contenti quiescamus, sed ad ea quae priora sunt, novo semper ardore nos extendamus, non inopportunum videbitur monere quanta industria — an dicam furore — acti, sectae in Urbe ipsa aliisque in terris catholicis ut in America Australi et in Missionibus laborent.

11. – Aegrotorum curae splendidum exemplum Provincia Missouriana praebet. Per viginti annos tres eius Socii, nulla unquam mercede temporali accepta, die noctuque, ministerium spirituale exercent in vastissimo urbis Chicago nosocomio (Cook County Hospital). Quantum laboris his Patribus sit, quantos fructus ibi colligant, iam eo aliquo modo coniicere licebit, quod in hanc quasi doloris urbem 27.000 aegrotantium quotannis recipiuntur.

12. – Ex Missione Sinensi Prov. Taurinensis, Hwaise, mense novembri tristes nuntii allati sunt. Latronum exercitus incursionem fecit in urbem Yingchowfu, quam ultra 60.000 hominum incolunt, eamque direptam atque spoliatam fere universam incendio vastavit. Etiam missionarii nostri pulchra domus cum libris, vestibus, alimentorum copia combusta est; nihil remanet nisi nudi parietes. Quod, altare violato atque tabernaculo confracto, non etiam templum ipsum destructum fuit, tribuitur constantiae cuiusdam latronis christiani Tertiique Ordinis S. Francisci sodalis, qui cum sacras hostias super altare dispersas videret et pyxidem in nefariorum hominum manibus, socios fortiter reprehendit et crucem manu gestans eos minatus est, ita ut sacrum vas restituerent; reliqua autem, vestes sacrae, calix, perierunt. Missionarius ipse, P. Marius Grimaldi (Prov. Taur.), obses cum aliis Europaeis magnis itineribus 18 dierum in regionem Honan abductus est. Sinenses quoque qui cum eo erant, etiam capti et abrepti sunt, sed postquam diem et noctem in latronum manibus fuerant, feliciter effugerunt. P. Grimaldi vero post 40 dies, quibus fame et frigore fuit maceratus, captivitate liberatus est.

In regno Iahspur (Miss. Beng.) subditorum suorum lutheranorum machinationibus politicis iratus, regulus contra omnes christianos saevire coepit. Cum illi tempore aufugissent, catholici soli invidiam plane immerito sustinere debuerunt. Cruentissimo modo tractati sunt atque coacti documento subscribere, quo promitterent se, omni commercio cum Missionariis intermisso, religioni christianae nuntium remittentes, ad pristinam superstitionem esse redituros. Plurima sacella iussu reguli ab eius satellitibus flammis diruta, nonnulli fideles occisi sunt. Missionarii vero, Sacratissimo Cordi addictissimi, animis infractis in suis stationibus perstiterunt, prudentia et praesertim oratione iniquitatem depel-

lentes et firma fiducia exspectantes, quid boni ex tanta calamitate Divina Bonitas eductura sit.

In Russia Commissio Pontificia ineunte mense martio 95.000 hominum quotidie in culinis publicis alebat et sperabat se per eundem mensem hunc numerum ad 120.000 esse aucturam. Praeterea 1.500 alimentorum sarcinas extra stationes suas miseris mittit; 15.000 hominum vestes providit et medicinas pretio 50.000 dollariorum aestimatas distribuit.

Ad Nostros quod attinet praeter operam, quam P. Walsh cum sociis suis Moscaviae praestat, ut aliis litteris rettulimus (1), commissa nobis est urbs Iekaterinodar, quae nunc mutato nomine Krasnodar i. e. urbs rubra vocatur. Ad flumen Kubanj sita, in praesentia, uti referunt, decies centenis millibus hominum incolitur, cum multi fame compulsi ex finitimis regionibus atque etiam a remotis fluminis Volgae ripis illuc advenerint, auxilia ad vitam sustentandam quaesituri. In hanc urbem advecti Nostri sub S. Stanislai patrocinio coeperunt alimenta inopia et miseria afflictis distribuere. Ineunte autem decembri trium culinarum curam susceperunt quas antea Commissio Americana (A. R. A.) administraverat et in quibus 3.000 puerorum aluntur. Brevi post summus regionis magistratus Patres rogavit, ut culinae opificibus sine labore destinatae auxilio venirent. Ita ineunte mense martio in urbe Krasnodar circiter 20.000 hominum nostrae curae commissa erant. P. Ioannes Capello mense decembri ex Russia rediit ut multos exules Lugduni commorantes adiuvet; in eius locum succedet P. Iulius Roi (Prov. Ven.), Collegii Mediolanensis Rector. P. Iosephus Farrell (Prov. Maryl. - Neo Eb.), Rector Collegii Brooklyniensis, iam mensi decembri Moscaviam est profectus ut P. Edmundo Walsh auxilio sit.

Convictus Russorum S. Gregorii, Constantinopoli curis Provinciae Lugdunensis institutus, urbem, mutatis ibi publicis rebus, relinquere debebit et forte in Belgium commigrabit. P. Ludovicus Baille ad locum atque subsidia iuvenibus suis paranda in Galliam et Belgium est profectus; eius socius P. Stanislaus Tiszkiewicz inter Russos Constantinopoli degentes laetos apostolici zeli fructus colligere pergit: non praeterit hebdomada, quin nonnulli schismate eiurato ad Ecclesiam veniant.

P. Superior Missionis Betsileensis (Madagascar, Prov. Cam-

(1) V. supra, p. 27.

paniae) laetus nuntiat P. Iosephum Arnal, a P. Ioanne Boutry, vicino suo, adiutum uno die (15 sept. a. 1922) in statione Mahasoabe 517 catechumenos adultos, 207 viros et 370 mulieres, baptizasse. Omnes diligenter parati erant, quippe qui doctrinam christianam duos annos didicissent, triplex de eadem examen superassent et ante baptismum secessum trium dierum peregissent. Eorum 50 ex haeresi protestantica ad sanctam fidem venerunt et 104 iam antea legitimi matrimonii vinculo iuncti erant. Per tres horas et dimidiam, ab hora 8 $^1/_2$ usque ad meridiem Patres in baptizanda hac laeta Christi manu detinebantur; proximo die felices neophyti ad primam Communionem accesserunt.

13. - Commissio ad ius nostrum recognoscendum P. Benedicto Ojetti (Prov. Rom.), lectore iuris canonici in Universitate Gregoriana, P. Iosepho Welsby (Prov. Angl.), P. Antonio Maas (Prov. Maryl. - Neo Eb.), utroque Tertiae Probationis Instructore, ita aucta est, ut singulae Assistentiae suum quaeque in ea habeant Patrem. P. Antonius Maas, qui brevi post mortem P. Hanselman, die 3 febr. in Curiam venit, interim simul vices gerit Assistentis Americae.

Ante finem anni superioris Pater Noster a RR. DD. Wilpert, Protonotario Apostolico, viro in sacra archaeologia doctissimo et Societati addictissimo, pretiosum nobis donum accepit, effigiem B. M. V. de Perpetuo Succursu coloribus depictam, ante quam, ut antiqua inscriptio testatur, S. P. Ignatius orare solebat. Tempore eversae Societatis pia imago in alienas manus devenisse videtur; postea RR. DD. de Waal, rerum antiquarum diligentissimus investigator, eam invenit et in Campo Sancto Teutonico custodivit. Unde magno pretio redemptam RR. DD. Wilpert S. Ignatii filiis nunc restituit. Pius donator rogavit ut precibus Societatis commendaretur; quod nunc Patris Nostri nomine facio et simul etiam me ipsum SS. SS. et OO. commendo.

Romae, dominica Palmarum,
die 25 martii 1923.

Vestrum omnium servus in Xto.

HENRICUS CARVAJAL

Secr. Soc. Iesu.

V.

Reverendi Patres Fratresque in Xto. Carissimi:

P. Xti.

1. – Quae huius epistolae ad vos dandae praecipua ratio est, ea eiusdem in exordio afferenda profecto videtur: Ven. Servo Dei Card. Roberto Bellarmino Beatorum honores sollemniter tributi. Cum semper Societatis filiis iucundissime accidat, quoties unus ex iis qui, S. P. Ignatio duce, toto animo Christum Dominum sequantur, summa eiusdem in terra Vicarii auctoritate in Beatorum numerum referatur, bellarminiana tamen causa feliciter finita nos peculiari laetitia afficit, quippe quae per tria fere saecula ad hos usque dies acerrime oppugnata, quidquid invidiae atque odii in Societatem conflatum fuit, in se ipsam totum susceperit. Crediderís humanae naturae inimicum poenas repetivisse de eo, qui suis laboribus suaque auctoritate plurimum contulerat ad Sanctorum lauream S. P. Ignatio conferendam, cui honori diu Societatis nostrae aemuli obstiterant. Bellarmini causam ad hos usque dies oppugnatam dixi, quia licet Summus Pontifex Benedictus XV b. m. virtutes Servi Dei heroicas declaraverit, tamen non defuerunt qui libellis sine facultate S. Rituum Congregationis conscriptis et quoquoversus atque ad eiusdem S. Congregationis Consultores, ad Cardinales, ad viros denique domosque religiosas vel ecclesiasticas dono missis, Ven. Roberto vitia haud levia affingere non erubescerent. Id vero patrarunt vel fucatum Ecclesiae studium ostentantes, cuius honorem hac causa, insidiis superborum iesuitarum promota, in discrimen vocari dicerent, vel historiae sinceros fontes aequamque trutinam simulantes, praesertim cum dictarent se nova documenta Bellarmini famae refragantia repperisse. Catholicis talia audentibus effuse acclamabant protestantes scriptores romanae ephemeridis " *Conscientia* ". Sed tantum afuit, ut his omnibus aliisque similibus calumniis amor Bellarmini eiusque causae debilitaretur, ut potius magis magisque roboraretur, nec solum apud S. Rituum Congregationis

socios, qui una nobiscum illis accusationibus laedebantur, sed etiam apud multos alios, quos falsae criminationes vehementius accenderent, ut maiores laudes Roberto tribuerent.

Et in primis Summus Pontifex obtrectationes quidem ipsas contempsit atque neglexit; verum, cum hae auctoritatis historicae amictum simularent, eo spoliari eas iussit. Quare P. Petro Tacchi Venturi hoc negotium commissum est. Is non levi labore, sed multo maiore studio erga Dei Servum circiter uno mense et semis (neque enim longius temporis intervallum a factis delationibus ad diem solemnibus dictam intercedebat) librum 200 fere paginarum composuit, quo ex Cardinalis litteris tam clare demonstravit futiles inanesque esse obiurgationes, ut Secretarius S. Rituum Congregationis illum perlegens, exclamaverit: " Hic quoque est, cur repetatur: *O felix culpa!* ". Sanctus Pater vero ipse celebri scriptori historiae Pontificum Excellentissimo Domino Pastor, austriaco apud S. Sedem Legato, dixit recentibus his aggressionibus earumque refutatione factum esse, ut Bellarminus etiam maior atque sanctior quam antea apparet. Idem P. Tacchi Venturi die 19 aprilis in aula maxima Cancellariae Apostolicae coram quinque Em. Cardinalibus, compluribus Curiae Romanae Praelatis aliisque frequentibus auditoribus Bellarminum erudita contione a reprehensione nimii favoris erga consanguineos vindicavit.

Itaque statuto tempore utrumque decretum, et id quo miracula comprobantur (1) et id quo " tuto procedi posse " ad beatificationem declarabatur (2), more solito solitisque sollemnitatibus coram Romano Pontifice lectum est in aula consistoriali Aedium Vaticanarum: illud die 15 aprilis, simul cum decreto quo edicebatur " tuto procedi posse " ad beatificationem Ven. Michaelis Garicoïts; hoc die 3 maii, una cum decreto de virtutibus Ven. Mariani a Rocca Casale O. F. M. Usus enim fert ut semper duarum causarum decreta simul legantur. Aderat his conventibus, praeter Curiam utriusque familiae religiosae ad quas Servi Dei pertinebant, magna hominum frequentia. Et in primo quidem obtigit Patri nostro nomine Societatis et etiam Congregationis Sacerdotum SS. Cordis gratias Summo Pontifici referre. Pius XI vero ornatissimis verbis respondens, audaciam accusatorum retundere voluit, cum clare illis alludens, ut ipse postea private significavit,

(1) *Act. Rom.*, III (1923), pp. 509 sqq.
(2) *Act. Rom.*, III (1923), pp. 526 sqq.

miracula Ven. Bellarmini asseruit omnibus contra eius virtutes obiectis, etiam imprudentibus immoderatisque, plene respondere, licet Cardinalis sanctitas atque integritas optimo cuique hominum rerumque aestimatori ex historia ipsa splendide affulgeat (1).

In altero consessu, die 3 maii, singulari Dei providentia factum est, ut simul cum ultimo decreto causae bellarminianae primum legeretur quo virtutes celebrabantur heroicae Ven. Mariani a Rocca Casale qui potissimum soleret eas acceptas referre libello doctrinae christianae Bellarmini cura concinnato, quem simul cum regula S. Francisci unice amavit et secum in sepulcro super pectus habere voluit. Hoc et Ministro Generali Minorum, qui tum orationem habuit, et Summo Pontifici occasionem praebuit celeberrimum catecheseos codicem eiusque auctorem laudibus iterum iterumque cumulandi (2).

Parvum hoc at utilissimum opusculum novos nunc honores beato suo auctori parit. Die enim 25 aprilis RR. DD. Iosephus Palica, Archiepiscopus Philippensis et Cardinalis Vicarii Vicesgerens, Patri Generali scripsit Archiconfraternitatem doctrinae christianae in templo B. M. V. de Planctu institutam sibi proposuisse Cardinali Bellarmino, cum primum inter Beatos relatus foret, peculiares honores deferre; Clementem enim VIII, bulla " Pastoralis Romani Pontificis „ die 15 iulii a. 1598 data, catechesim Bellarminianam ubique in Urbe adhibendam praescripsisse, eam typis committendi facultate data uni illi Archiconfraternitati, quo factum est ut per tria fere saecula ad nostram usque memoriam, Cardinalis Bellarminus libro suo Romanos fidem christianam doceret; quare sodalitium decrevisse haud vulgares grati animi significationes publice exhibere.

Die 26 aprilis in templi Farnesiani sacello, quod Congregationis Bonae Mortis proprium est, adstantibus RR. DD. Cardinalis Vicarii Vicesgerente et S. Rituum Congregationis ministris, Patre Nostro, Postulatore Generali aliisque paucis Patribus, omnibus iure praescriptis rite servatis, recognitae sunt exuviae Ven. Servi Dei Cardinalis Roberti Bellarmini. Ossa praeter omnium opinionem integra solidaque servata apparuerunt, ut pulchra urna a P. Postulatore diligenter parata brevis esset ad ea capienda et alia maior illico emi deberet. Tota ossea compago perstat; parva

(1) *Act. Rom.*, III (1923), pp. 514 sqq.
(2) *Act. Rom.*, III (1923), pp. 529 sqq.

pars calvae deest, quam anno post mortem, cum P. Mutio Vitelleschi Praeposito Generali prima corporis recognitio fieret, medicus trianguli in modum exsectam sibi detulerat et postea cuidam virginum Carmelitarum asceterio piam hereditatem reliquerat; ea nunc capitis foramini apposita ita plane aptari visa est, ut id solum satis esset ad evincendum illas exuvias esse re vera Bellarmini. Cernentur etiam aliae corporis carnisque partes particulaeque; exstant capillorum et barbae tenues fasciculi. A prandio ora circiter tertia, sacello denuo aperto, aliis quoque Nostris accedere et corpus inspicere, nondum tamen venerari licuit. Mens est proximo novembri Beati ossa transferre in templum S. Ignatii, ut, eius ultimo desiderio trecentos post annos tandem expleto, prope S. Aloisii sepulcrum recondantur.

Denique Dominica infra octavam Ascensionis die 13 maii, in maximo Templo Vaticano pulchre decorato, sollemniter celebratur Bellarmini in Beatorum numerum adscripitio (1). Roberti imago, suis insignibus aucta et in sublime suspensa, circum radiantibus luminibus emicabat; ante absidem utrimque pendebant duo vela picta, quae miracula referebant, Bellarmini intercessione patrata. Frequentia exspectationem omnium superavit. Nam cum idem ritus tertio iam paucorum dierum intervallo fieret, timor erat, ne fervor confluendi in Vaticanam Basilicam decresceret. Sed paulatim vidimus tesseras ingressus tam avide exquiri, ut plurimorum desiderio satisfieri non posset. Ipso vero die tantus concursus fuit, tam mane quam vespere, ut non minor putaretur illo, qui in decernendis iisdem honoribus Beatae Teresiae a Puero Iesu habitus est, quamvis frequens tunc exstitisset propter peculiares rationes et multos e Gallia peregrinos. Ceterum nec Roberto defuerunt pii peregrinorum manipuli, a suis ducti Episcopis ex italicis urbibus, quas ipse singulariter coluerat, Monte Politiano (Montepulciano), Capua, Monte Regali in Subalpinis (Mondovì). Complures quoque vidimus Ordinum religiosorum Moderatores Generales, quos inter Magister Generalis PP. Praedicatorum, qui P. Assistenti Germaniae, populari suo, professus est, se singulari animi proposito voluisse huic festo interesse: sibi enim valde displicere subdola bella in Bellarminum mota, adeo ut, etsi non aliae quoque rationes eum exstimulassent, hac vel una motus ad solemnia venisset, ut sua praesentia temerarios quorundam conatus damnaret. Illud etiam praeclarum atque insolitum fuit

(1) *Act. Rom.*, III (1923), p. 540.

18 Cardinales, ut almo collegae maioris honoris significationem exhiberent, mane in Basilicam Vaticanam convenisse et, cum sit alicuius ex Episcopis capituli Vaticani per eiusmodi occasiones Sacrum facere, hoc tamen die ipsum Basilicae Archipresbyterum, Cardinalem Raphaelem Merry del Val, Missam pontificio ritu voluisse decantare. Em. vero Card. Caietanus De Lai, cum episcopalis officii curis in sua sabinensi diocesi detineretur, eodem die pulcherrimam epistolam ad Patrem Nostrum dedit, qua absentiae causa excusata, Societati summos tanti filii honores magno cum gaudio gratulatus est.

A prandio, Pius XI, Sacro Cardinalium Collegio, pontificia militia, palatina familia comitantibus, in Vaticanum S. Petri templum novum Beatum veneraturus gestatur, dum undique per aedem turba naves amplosque suggestus replens laetabunda plaudit. Tum Archiepiscopo Capuano, utpote qui successor B. Roberti, honor defertur benedicendi cum SS. Eucharistia simul Pontifici, nobili eius curiae, fidelium multitudini. Dein antequam discederetur, Pater Generalis aliique cum eo Patres, pro more recepto, dona Pontifici obtulerunt, historiae B. Bellarmini exemplaria, pulcherrimum florum fasciculum ac Beati reliquias. Has cum traderet Pater Noster exponeretque articulum esse digiti manus illius, qua Robertus tot tantaque opera ad Sanctae Sedis et Summi Pontificis auctoritatem defendendam conscripsisset, Pius animo vehementer commotus illum summa cum religione semel atque iterum est deosculatus.

Hisce sollemnibus ita absolutis frequentem populum excepit SS. Nominis templum, ubi iuxta monumentum memoriae Roberti erectum ad Evangelii cornu altaris maioris, Beati corpus nova in arca conditum resque aliae quae ad eum pertinuerant, veneranda prostabant. Accedebant ex una parte piae turbae, ex altera abibant, postquam sacras illas reliquias conspexerunt, deosculatae sunt, ac tetigerunt admotis coronis aliisque rebus. Mox contionantem audierunt P. Galilaeum Venturini et hymno ambrosiano cantato, Archiepiscopus Capuanus denuo cum SS. Sacramento populo benedixit.

2. – S. Francisci Xaverii Brachium, itinere atque triumphis per septemtrionalis et mediae Italiae urbes splendide peractis, ineunte maio tandem in Urbem rediit. Augetur in dies numerus gratiarum et sanationum, quae omnium admirationem excitant.

Die 25 aprilis telegramma ad Patrem Nostrum allatum est, quo incolae oppidi Marradi, quod Ravennam inter et Florentiam situm est, instanter petierunt, ut cum transeunte sacro Brachio per illum locum duo portenta facta essent, sibi concederetur facultas iterum venerandi desideratas reliquias et quasi coram grati animi significationem exhibendi. Sed corporibus in bonam valetudinem restitutis pretiosiores animarum mirae sanationes: urbes socialismi et torporis religiosi tabe vehementer infectae, ut perpauci cives tempore paschali s. Communionem reciperent, sacrarum reliquiarum adventu adeo commotae sunt ut uno alterove die 6000, 10.000 hominum ibidem ad sacramenta accederent. Nunc sacrum Brachium non minore sane fidelium obsequio per urbes et oppida Provinciae Neapolitanae portatur; tempore autem Congregationis Generalis iterum aderit in Urbe, ne Xaverii fratres ex omnibus fere orbis partibus congregandi eo solatio careant, quod aliis tam liberaliter concessum est.

Ven. P. Iosepho Anchieta, magno Brasiliae apostolo, in oppido Berigtiba, ubi decessit quodque nunc mutato nomine ab eodem nuncupatur Anchieta, grati cives statuam erexerunt. Hi honores Servo Dei eo gratiores certo evaserunt, quod bono illius regionis populo opportunitatem praebuerunt publice ostendendi ingentem suum amorem erga Christi Vicarium. Nam Nuntius Apostolicus, RR. DD. Henricus Gasparri, a gubernio Status invitatus ut novum Venerabilis signum sollemniter detegeret, magnis honoribus a magistratibus et fidelium frequentissima multitudine receptus est.

3. – Longae Domorum Exercitiorum seriei, quae *Memorabilibus* anni superioris exhibita est, novam domum Provinciae Toletanae nunc addere licet; die enim S. Ioseph sacro, 19 martii, pars Collegii Malacitani (Malaga) recenter exstructa sacrum secessum peracturis solemni ritu est destinata; eo ipso die vespere prima selectorum virorum manu Exercitiorum series inaugurata est.

Manresae a die 2 aprilis usque ad 6 eiusdem mensis Exercitiorum Conventui, quem superioribus litteris (1) annuntiavimus, interfuerunt Clerus Manresanus, tres Patres e Congregatione Purissimi Cordis Mariae, duo Patres Capuccini, Praepositi quattuor Hispaniae Provinciarum aliique circiter 90 Nostri. Consessus habebantur mane ab hora 9 usque ad 11, vesperi ab hora 3

(1) V. supra, p. 47.

usque ad 5; hora 7 autem soli Nostri conveniebant ad tractandum de Exercitiis nostris communitatibus tradendis. In ultimo consessu Praepositus Provinciae Aragoniae indixit in proximum annum alterum Congressum, tempore et loco statuendis. Postea omnes ad portam domus se contulerunt, ad quam clerus et magistratus urbis iam consistebant ibique tabula ex marmore, insculpta ad memorandum visum, quod S. P. Ignatius ad fluvii Cardoner ripam contemplatus est, solemniter est detecta, dum civica symphonia alacres Ignatiani hymni modos personat. Lecta ab uno e Nostris et breviter explanata inscriptione, Archipresbyter fecit pauca verba, quae conclusit acclamando S. Parenti Nostro. Post visitatam novam Exercitiorum bibliothecam omnes in sacrum Specum se contulerunt, ubi decantato hymmo Ambrosiano, cunctis eucharistice benedictum est Gratae fuerunt omnibus Manresae congregatis litterae, quibus eos Confoederatio Studentium Valentina salutans rogavit, ut praesertim iuvenes, studentes atque opifices, Exercitiis instituendis iuvarentur.

Provinciae Belgicae quoque Patres diebus 3 et 4 aprilis in Trunciniensem Domum (Tronchiennes) congregati, de Exercitiis clausis promovendis consilia contulerunt. Antea iis distributa erant 64 capita quaestionum, petita ex diutina et recenti huius ministerii experentia, quae ad conventus utilitatem sane multum profuere.

In domo Exercitiorum Provinciae Romanae viri summae inter Italiae Urbisque catholicos auctoritatis, ut Praesides Iuventutis Catholicae Italicae, Consociationis auditorum Universitatum, Secretarii Foederum inter omnes nationes initorum pro Iuventute Catholica et Mutuo Auxilio, sub Pascha Exercitia clausa et silentio perfecte servato tanto cum fructu fecerunt, ut non solum ipsi felices contentique ex iis exirent, sed etiam sibi proponerent, quacumque ratione possent alios quoque ad ea facienda adducere. Item Unio inter catholicos Italiae ex Summi Pontificis voluntate promovebit Exercitia iis omnibus, qui praesunt consociationibus catholicis.

Quam laetos progressus opus Exercitiorum inter Angliae opifices faciat vel ex his paucis coniicere licet. Anno superiore Birminghamensem Domum Penryn, quae circiter 30 homines bene excipere potest, 66 viri Exercitia peracturi, simul petiverunt neque loci angustiis et incommodis deterriti sunt: 5 ante cubiculum Patris, alii in ambulacris noctem transegerunt. Iuvenis quidam, qui

Exercitia clausa ibidem fecerat, statuit laboris sociis in loco Swadlincote eandem opportunitatem parare. Res non erat facilis, nam aedificium aptum non aderat. Tandem duae casae ex ligno, illarum instar quibus milites in bello utebantur, 50 opifices in metallis carboniferis occupatos, quos inter nonnullos protestantes, exceperunt. Homines isti sane rudes et simplices ultro rogaverunt, ut stragulis allatis in misello habitaculo pernoctare sibi liceret, ne domum quotidie redeuntes animum a piis Exercitiorum cogitationibus distraherent: sacro autem secessu finito rogarunt, ut quotannis Exercitia sibi haberentur eaque, si fieri posset, per totam hebdomadam producenda.

Viri qui in domo Vughtensi (Prov. Neerl.) secessum peregerunt in grati animi significationem Patribus donum dederunt Exercitiorum Domui maxime conveniens et anni iubilaris 1922 memoriam pulcherrime servans. Posuerunt enim in horto effigiem marmoream S. P. Ignatii ab egregio artifice gandavensi, Aloisio de Beule, affabre sculptam. In baseos fronte nigra aureis litteris neerlandice scriptum est: " In memoriam Constitutionis Apostolicae, quae die 20 iulii a. 1922 Papa Pius XI S. Ignatium de Loyola Patronum operis Exercitiorum in toto mundo declaravit ".

4. – Foederatio omnium Congregationum in Hispania haud ita pridem constituta, documentum praestitit, quantum viribus polleret quamque laetam de se in Ecclesia spem faceret. Sodales enim ut Romam, in urbem Pontificis et Congregationum, peregrinarentur invitavit. Amplius 500 ex universo fere regno convenerunt. Numerosiores videre erat matritenses et barcinonenses; omnem etiam aetatem, a puero usque ad senem canitie venerandum; omnes ordines ab agricola et opifice usque ad patricios primae nobilitatis: qui duce Em. Card. Ioanne Benlloch, ipso quoque B. M. V. Sodali, feria IV hebdomadae maioris sive terra sive mari in Urbem advenerunt.

Die Paschatis, qui in kalendas apriles incidit, Pater Generalis iis omnibus in templo S. Ignatii ad S. Aloisii sepulcrum Sacrum fecit et Communionem distribuit. Magna haec virorum adulescentiumque multitudo pietate atque fervore cunctis aedificationi fuit; alumni scholae militaris suis amicti insignibus, quae ex ipsius Regis iussu secum attulerant, ad altare inservierunt. Postea sub horam 10,30 Patrem Nostrum salutandi causa in Curiam convenerunt. Hic eos P. Assistente Hispaniae aliisque

Patribus hispanicis circumdatus in cavaedium Collegii excepit, cum nulla eius aula tantae multitudini continendae apta esset. Ad allocutiones, ardore et fide plenas duorum iuvenum responsurus gratias egit, quod se convenissent et ostendit quantopere nunc Congregationibus Marianis opus esset spiritu interiore, si viros illos fortes formare vellent, quos Christi et Ecclesiae causa his maxime temporibus exigeret. Confoederationem omnium Congregationum quam Hispani primi, aliis populis in hac re praelucentes, instituerunt, multum laudavit, qualisque esse deberet ne agendi alacritatem et vigorem potius restringeret quam augeret, paucis descripsit. Verba Patris Nostri Congregati summo plausu exceperunt ipsique, Societati, Congregationi Marianae, ut ardor eos impellebat iuvenilis, acclamaverunt.

Die 3 aprilis ad Summum Pontificem admissi, ei Sacrum operanti adstiterunt et SS. Christi Corpus ex eius manu sumpserunt. Postea Em. Cardinalis Benlloch Summum Pontificem allocutus haec inter multa alia dixit, iuvenes digito indicans: " Hos iuvenes gloriosa SocietasI esu nobis instituit „. Summus Pontifex Sodales marianos ad B. M. V. amorem et fidei constantiam servandam hortatus est; hac ratione dilectae quoque patriae honori futuros maximaeque utilitati. Peculiaria amoris verba iuvenibus studiosis fecit, qui multi aderant: haud semel etiam ad Marchionem de Rafal orationem convertit, quem Rex ut suam personam ageret coram Pontifice miserat iussitque eum Regi gratos animi sui sensus exhibere propter hoc filialis pietatis testimonium. Denique Em. Cardinalis Benlloch Summo Pontifici 50,000 libellarum tradidit, quas in communis Patris obsequium Congregationes hispanicae pro famelicis Russis collegerant.

Congregationi Marianae Reginae-Hradecii (Hradec Kralové in Cechoslovachia) a Patribus nostris erectae circiter 50 sacerdotes nomina dederunt: totidem fere ex circiter mille eiusdem dioecesis sacerdotibus a sacerdotali sacramento et etiam fide antea defecerant. RR. DD. Episcopus ipse plerumque interest Congregationis conventui, qui unoquoque mense habetur. Post honores SS. Eucharistiae et B. M. V. redditos, post brevem exhortationem asceticam tractatur sive de re dogmatica sive morali sive de iure canonico; Congregationis ipsius natura atque condicio ex libro P. Elder Mullan enucleatur, ut sacerdotes, usu atque doctrina genuino Congregationis spiritu imbuti, eas inter fideles suos rite instituere et regere possint.

Patres Residentiae Groninganae (Prov. Neerl.) Congregationum suarum studio atque exemplo tribuunt, quod numerus Communionum in Residentiae templo hoc anno tribus milibus auctus sit ita ut 50,000 iam superet. Qua re animati Congregatorum zelo nunc utuntur, ut etiam diebus ferialibus plures semper fideles Missae sacrificio intersint.

Leopoli (Lwów) sicuti in aliis Poloniae urbibus pastores protestantes ex America advecti donis et pecunia magis quam eloquentia simplices miserrimorum hominum animos ad suas partes allicere student. Quorum insidias atque errores ut detegant, Domini nostrae Sodalitatis Marianae in contionibus publicis adsunt et obiectionibus scite prudenterque factis aliaque qua possunt ratione populares a perversis machinationibus defendere student. Quare eos RR. DD. Archiepiscopus magnopere laudavit iisque gratias egit, quod nefariis sectarum conatibus populum a fide avertendi tam fortiter optimoque eventu sese opponerent.

Quanta diligentia et quam felici eventu Congregatio B. M. V. in Missione Bombayensi exculta esset, clare apparuit, cum die 28 ianuarii anni 1923 Sodalitas virorum et iuvenum in urbe Bandra suum ortum (26 ian. 1873) decem post lustra sollemni commemoratione celebravit. Non minus quam 27 Congregationes ex dioecesibus Bombay et Damaun legatos suos miserunt, ita ut in pompa vespertina 3000 Sodalium una cum aliis consociationibus, instructo agmine, splendidum catholicae fidei et erga B. Virginem pietatis documentum omni populo, christianis et mahumetanis et ethnicis, exhibuerint. Viri quos 25 sacerdotes sequebantur, laeti et pii novam Immaculatae statuam humeris suis ad altare sub divo erectum deportaverunt. Ibi post lectam narrationem de statu et operibus Congregationis RR. DD. Albanus Goodier, Archiepiscopus Bombayensis, viros ferventibus verbis allocutus est. Deinde SS. Sacramento ex templo allato, Episcopus Damanensis hymnum Ambrosianum exorsus est et SS. Eucharistia cunctis benedixit.

Ex operibus Congregationis Bandrensis peculiari mentione digna sunt Exercitia clausa, quae quotannis in Khandala suis Sodalibus tradenda curat et ad quae multi alii viri ex Salsette, Bombay, Poona atque etiam e magis remotis Indiae locis accedunt. Pietatem in Congregatione florere demonstrant vocationes sacerdotales, quas inter Sodales Divina Bonitas excitavit.

5. – Institutum Orientale in Urbe seriei libellorum, quos Professores Collegii Biblici de rebus semiticis tractantes iam quarto anno edunt et *Orientalia* appellarunt, nunc alteram adiunxit de christiana Orientis Ecclesia, quam his commentariis et Instituti Orientalis professores et alii viri eruditi illustrant. Nec doctis explanationibus contenti, vias etiam quaerent quibus Occidentis Orientisque fideles sincerae caritatis veraeque Fidei vinculo coniungi possint. Fasciculi non quidem statis temporibus in lucem dabuntur sed quotannis volumen 320 paginarum complebunt.

Constantinopolitanus S. Georgii Convictus Russorum in Belgium translatus et a Nostris aliisque urbis civibus summa caritate exceptus est Namurci. Eius alumni fere 30 Collegii nostri scholas gratuito frequentant; cetera autem Provinciae Belgicae Collegia huic instituto pro sua caritate auxilium ferunt, ita ut eius sumptuum saltem partem in se suscipiant. Collegii Namurcensis alumni qui philosophiae operam dant, iam antea cum alii 250 Russi Constantinopoli Namurcum advenissent, stramina et res ad victum et habitationem necessarias apud cives per urbem ostiatim conquisitas ipsi parvis curribus adduxerant ad aedes, quae miseris exulibus destinatae fuerant.

6. – Tristis ex Missione Hondurensi (Prov. Missour.) ad nos allatus est nuntius: RR. DD. Fridericum C. Hopkins (Prov. Angliae), illius Missionis Vicarium Apostolicum, in mari periisse. Die 9 aprilis ex sua sede profectus est, ut regionem septemtrionalem Vicariatus apostolica visitatione peragraret. Navis dicitur rimosa fuisse et mercibus hominibusque nimis onusta hasque, non vero procellam, fuisse causas, cur nocte diei 10 aprilis sub horam 2 aquis mersa sit in maris caraibici loco, qui ab urbe Corozal non plus quam circiter 7 milia passuum distat. Cum in summo periculo viri et ipsi nautae nihil aliud cogitarent quam ut vitam propriam eriperent, Episcopus noster solus fuisse dicitur, qui de mulieribus parvulisque servandis moneret: ex viris ipse solus periit, victimae universae fuerunt 18. Corpus, biduo post demum in littore yukatanensi inventum, eo ipso die in urbe Corozal est terrae commissum. Postea tamen in sedem episcopalem translatum et ingenti fidelium concursu in ecclesia cathedrali est conditum; funeris tempore non solum officia publica, sed etiam tabernae civium in luctus et venerationis erga mortuum Praesulem significationem clausae manserunt. Cum Missa sollemnis pro

eius anima celebraretur, magna catholicorum multitudo in templo aderat, aderant etiam coloniae gubernator cum ministris et episcopus, quem dicunt, anglicanus cum suis aliarumque sectarum capita. Praepositus Provinciae Missourianae litteris suis de RR. DD. Hopkins dixit: " Vir fuit zeli apostolici plenus, nihil sibi ipsi suoque commodo unquam indulgens neque quidquam provectae aetati vel debili valetudini concedens in suscipiendis itineribus apostolicis, quorum molestiae atque labores etiam iuvenis animum viresque non parum tentassent „.

Nuper S. Sedes eam dioecesis Osakensis (in Iaponia) partem, quam iam antea Societatis curis tradiderat, in Vicariatum Apostolicum erexit eiusque administrationem RR. DD. Henrico Doering (Prov. Germ. Inf.) commisit. Ab eadem S. Sede R. P. Iacobus Lopez de Rego (Prov. Tolet.) nominatus est Vicarius Apostolicus Insularum Marianarum et Carolinarum.

In Sacratissimi Cordis Collegio Caroloregiensi (Charleroi, Prov. Belg.) proximo mense aprili habita est magna Expositio Missionum. 14 virorum et sex monialium religiones in 13 Collegii aulis exhibebant varias res ex plurimis orbis partibus allatas, in quibus evangelizandis Belgae desudant. Ad eas invisendas per octo continuos dies saltem viginti milia hominum accesserunt. Bis in die conferentiae publicae cum proiectionibus luminosis in aula magna Collegii frequenti spectantium concursu a missionariis habitae sunt. Praeter pecunias Missionibus hac occasione oblatas — sunt 50,000 francorum — insitus est in animis novus ardor Evangelii praecones omni ope iuvandi et fortasse Dei Providentia hac re usa est, ut iuvenibus quibusdam vocationis missionalis gratiam concederet.

Schola Apostolica Turnholtana (Prov. Belgicae) anno superiore (1922) sollemniter egit memoriam diei, quo ante 50 annos erecta est. Intra hoc temporis spatium Ecclesiae paravit plus 400 missionarios; quattuor ex suis alumnis ad episcopalem dignitatem evecti sunt. Ad eos nuper accessit RR. PP. Adrianus Smet, Archiepiscopus tit. Gangrensis et Delegatus Apostolicus in Persia nominatus. Eodem anno iubilari Schola Turnholtana, ut semper plures missionarii in vineam Domini mitti possent, alumnos suos wallonicae nationis in Collegium S. Francisci Xaverii Verviense ponere ibidemque novum apostolorum seminarium instituere decrevit.

7. – Antequam hae litterae a typographis perficiuntur, duo videntur addenda, quae inter se valde quidem diversa, pari tamen Societatis filiis gaudio fore censemus. Primum est recentissimo fasciculo *Actorum Apostolicae Sedis* evulgatum esse S. Officii decretum (1), quo damnatur et in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandatur opus: *Historia interna documentada de la Compañia de Jesús, por Don Miguel Mir, Pbro. de la Real Academia Española, Tomo I et II;* et liber eiusdem tituli, quo I. de Recalde illud opus linguae et lectoribus gallicis aptare coepit. Iamdiu in votis erat ut subdolae machinationes, quibus infelix ille homo — quondam Societatis filius — tantam suspicionem contra Societatem inter catholicos, praesertim viros ecclesiasticos, et maxime in Hispania, sparserat, summo Sanctae Sedis iudicio publice detegerentur; nam in catholicis quoque periodicis hoc opus laudabatur ut sincera rerum Societatis eiusque historiae descriptio, et piis hominibus legendum proponebatur. Nec minus optandum erat ad Societatis famam tuendam, ut saltem illud etiam nomen, quo tecti nonnulli in Gallia acre iuxta ac insidiosum bellum in nos movent, Ecclesiae sententia notaretur et proderetur.

Alterum vero totum continetur solemni et simplici documento, quod hic exscribimus: " *Pio XI Pontifice Maximo – huius domus ad clivum Ianiculi inchoandae – lapidem primum – auspice Sanctissimo D. N. Corde – cuius festus dies agitur – Camillus Caccia Dominioni Praef. Cub. Secr. Pont. – consecravit posuitq. – VI id. iun. MCMXXIII* „. " Haec domus „ cuius aedificandae initium Deo favente factum esse diplomate perhibetur, ex parte Curiae nostrae destinabitur. In area surget, ubi extabat Domus Exercitiorum Provinciae Romanae, vulgo *Cecchina* dicta, quae ab ingressu Basilicae S. Petri vix decem momenta distat. Multae aliae aedes antea conquisitae locave explorata fuerant; sed ubique difficultates obstiterant haud leves. Hic demum hodie hora 5 ½ p. m. aderant sacro ritui peragendo Pater Generalis cum PP. Assistentibus et Praeposito Provinciae Romanae aliisque paucis Curiae et Provinciae Romanae sodalibus atque nonnullis saecularibus. Postquam RR. DD. Camillus Caccia Dominioni, Praefectus Cubiculi Secreti Pontificis (Maestro di Camera di Sua Santità), olim alumnus et nunc Societatis amicissimus, lapidi ex concepta formula benedixit, adstanti coronae testatus est: se rem confecisse ex

(1) *Acta Rom.*, III (1923), p. 552.

parte quoque Summi Pontificis, qui, cum ex ipso cognosset eo vespere primum Curiae nostrae lapidum collocatum iri, voluisset, ut eius nomine consecratio fieret. Mox lapis, ex alba rupe tiburtina desectus, in quo simul cum inscriptione, quam supra rettulimus, ab adstantibus subscripta, exemplar etiam recentissimae Constitutionis Apostolicae " Summorum Pontificum „ de S. Ignatio Exercitiorum Patrono ac varia numismata includebantur, in fossam quinque metra altam demittitur et ab ipso RR. DD. Caccia et a Patre Generali adacta calce stabilitur, faustum aedium aedificandarum initium et omen. Reliquum est ut omnes Societatis filii SS. Cor Iesu, sub cuius patrocinio iamdiu optatum opus aggredimur, instanter orent ut, quod coepimus aedificare ad maiorem eius honorem, possimus consummare.

Me etiam precibus et SS. SS. impense commendo.

Romae, die festo Sacratissimi Cordis Iesu,
8 iunii 1923.

Vestrum omnium servus in Xto.

HENRICUS CARVAJAL
Secr. Soc. Iesu.

VI.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI :

P. XTI.

1. — Superioribus litteris scripturus de transferendis B. Roberti Bellarmini sacris ossibus e romano templo SS. Nominis ad S. Ignatii, dicebam nobis in animo esse proximo mense novembri sollemnem illam pompam peragere. Vix haec epistolae commiseram, cum Summus Pontifex P. Petrum Tacchi Venturi, quem ad se accersiverat, interrogavit, quandonam sacrum Roberti corpus suam in sedem transvehendum censeremus. Ut

ille audivit proximo novembri id factum iri: " Cur, inquit, non ipso die festo S. Aloisii, licet iam iam immineat? „ Agnito Pontificis desiderio, nihil morae interpositum est, ut eius voluntati fieret satis. Quinque dumtaxat intercedebant dies, perangusti sane parandis omnibus pro dignitate singularis eventus; nihilominus res omnium expectationem longe superavit, quod quidem RR. DD. Carolo Respighi, Caeremoniis pontificiis praefecto, in primis tribuendum, deinde Rectori Universitatis Gregorianae.

Non multum abest a vero qui dicat fidelem romani populi multitudinem sive per se, secus viam aut a fenestris prospectantem, sive per suos ad pompam legatos adfuisse. Haec a meridie hora sexta, infinito agmine instructo, e templo Farnesiano egredi coepit. Cerneres variis indutos insignibus erectisque vexillis ad 40 diversos iuvenum coetus et insuper Sodalitates Marianas, Scholas, Collegia, " Patronati „, " Ricreatorii „; iuvenum tamen pars quae admirationem maxime commovebat fuerunt puerorum cohors, sub signis Doctrinae Christianae ducta, quorum singuli singularum Urbis paroeciarum personam agebant, et catholici auditores regiae Universitatis. Accedebant Collegia seminaristarum et religiosorum ad 38, e quibus integra Universitas Gregoriana ceteris praestabat; dein 11 Ordines Religiosi et Societas nostra, pone quam sequebatur universum Collegium parochorum Urbis, cuius Moderator RR. DD. Iosephus Palica, Archiepiscopus Philippensis idemque Vicesgerens Cardinalis Vicarii, sacros per eam occasionem ritus peragere voluit; huic praecedebant Episcopi, Abbates, Praelati. Tandem e summa templi ianua emicuit, humeris lectorum Universitatis Gregorianae aliorumque Patrum subvecta, candida arca, quae sacram urnam contegebat, affabre composita floribusque ornata. Huic proximi aderant, honoris causa, ephebi e genere patricio, amicti ad mores saeculi XVII; hinc inde incedebant infulati Episcopi quatuor et Pater Generalis cum suis Assistentibus cereos gestantibus; subsequebatur, medius inter duos e Societate Cardinales Ludovicum Billot et Franciscum Ehrle, Emus. Praefectus S. Rituum Congregationis, Antonius Vico, cum multis Consultoribus et administris ad eam curiam addictis. Ut e templi foribus in conspectum populi arca processit, latius personuit Palatinorum tubicinum collegium, e Vaticano submissum; tum civium alii suas cum sacerdotum et clericorum vocibus ultro conserere, alii identidem plaudere manibus ante progredientem arcam, alii admota ori dextera, oscula in eam

mittere; pueri etiam e fenestris, versicolore tapete instructis, in eamdem flores certatim coniicere. Ventum tandem est ad S. Ignatii.

Huius maiori ianuae tabula uncialibus inscripta litteris impendebat, quibus Aloisius, in eadem aede reconditus, suum pietatis praeceptorem ita alloquens inducebatur:

PATER – ANIMAE – MEAE
OMNIUM – OLIM – IN – TERRIS
VIRTUTUM – MAGISTER
QUI – ME ALOISIUM – TUUM
HOC – IN ROMANO – COLLEGIO
AD – DEUM – RECTA – SIC – EVEXISTI
UT – PLENA – CAELESTI – HAC – BEATITATE
IN – AEVUM – UNA – PERFRUAMUR
HOC – IGNATII – PATRIS – TEMPLUM
SUBEANT – TANDEM – EXUVIAE – TUAE
AD – OSSA – MEA – PROXIMAE – RECUMBANT
UT – MORIENS – OPTASTI
UT – EGOMET – OPTO

Ante templi frontem, in superiore gradu stabat longo ordine ab utraque parte dispositus purpuratorum Patrum senatus opperiens Beatum sodalem et in aedem gloriamque suam mox comitaturus: sexdecim eum constituebant Emi. Cardinales, videlicet: Vannutelli, Gasparri, Merry del Val, Sbarretti, Ranuzzi de' Bianchi, Frühwirth, Scapinelli, Giorgi, Silj, Tacci, Ragonesi, Bonzano, Bisleti, Lega, Laurenti, Mori. Arca sub tholo ante absidem deposita, P. Iosephus Massaruti suggestum conscendit et brevi nervosaque oratione circonfusam multitudinem est affatus, ostendens B. Robertum omnibus esse exemplo ac stimulo ad summe amandum Romanum Pontificem Romanamque Ecclesiam. Mox arca defertur in sacellum S. Aloisii et collocatur ad Evangelii latus, dum pia turba flores, quibus ea erat conspersa, avidissime sibi diripit et inter se distribuit. Ita desiderio B. Roberti ad verbum satisfactum est, ut mortuus ad pedes Aloisii sui iaceret. Denique praeeuntibus selectis pueris et clericis, faces manu tenentibus, Em. Cardinalis Vico ad altare maius prodiit, ubi hymno ambrosiano decantato, immenso populo sollemniter benedixit.

Vix unum aut alterum post captam Urbem romana civitas viderat publicum religionis triumphum, huic parem; totus cle-

rus saecularis et regularis publice interfuit, populus vero frequentissimus suum Roberto, tamquam cognoscendae fidei magistro et quasi civi, amorem testari sponte luculenterque voluit. Hoc studium ex eo die magis ac magis augeri coeptum est, ita ut ante urnam iam videre sit quotidie accendi cereos suspendique argentea dona, quae indicant accepta per Robertum munera caelestia.

Ut urbi gratum animum signo aliquo testaremur propter tam insignem erga Societatem benevolentiam, Pater Noster eximie depingi iussit photographico opere maiores huius translationis ac pompae actus, quorum series, codicis instar simul collecta, Romano Pontifici, Eminentissimis Cardinalibus, aliisque viris memoriae causa porrigeretur.

2. — Cum Sanctus Pater Pius XI, die 11 iunii P. Henricum Rosa, curatorem ephemeridis " *La Civiltà Cattolica* „ consueta benignitate exciperet, quaereretque ex eo, ut solet, num quid novi ageretur, Pater consilium aperuit itineris Parisiensis ingrediendi, ineunte iulio, conventusque habendi privatim inter curatores ephemeridum nostrarum praecipuarum, quae in plerisque iam nationibus a Nostris in lucem eduntur. Exposuit, eo conventu velle una simul deliberare, quibus modis ac rebus possent opus suum perficere, ut optandum erat, et communibus consiliis mutuaque ope iuvari in veritate catholica defendenda et profligandis erroribus, ad Ecclesiae praescriptum et Sedis Apostolicae nutum cui ipsi omnes et singuli, se audientes fore, velut paratissimos milites, profiterentur; in eum finem et benedictionem Sancti Patris et admonitionem, si placeret, seu normam ac " *directionem* „ optatissimam se implorare.

Hisce mirifice delectari visus est, quamquam indole placidior ac pacatior, amantissimus Pontifex; de ephemeridibus interrogavit, suis praecipuas quasque titulis e singulis regionibus nominavit; consilium nostrum impense dilaudavit; Benedictionem se amplissimam concedere, perlibenter ac toto animo affirmavit. Tum sollemnioribus veluti modis, voce ac sermone, utens, ad Patrem conversus: " Ac tibi quidem, inquit, ut curatori ephemeridis quae Pontifici propior est, do mandatum deferendi nuncium Nostrum — *portare il Nostro messaggio* — una cum Benedictione Apostolica, quam tribuo *specialissimam* atque *intentionalem* — sic enim dixit "intenzionale „ seu propria atque

explicita intentione datam opus istud sanctissimum promovendi. Addidit, maximi se facere genus huiusmodi apostolatus atque ephemeridum praesertim Societatis, quae primas obtinerent, quatenus in omni natione veluti praecones — " *portavoce* „ dixit seu voces deferentes — ac doctrinam tutiorem, quam ex magnis Ecclesiae centris hausissent, illustrarent, tuerentur, perque omnes nationes late propagarent ac disseminarent.

Cum vero Pater urgeret, ut si quid haberet commendandum, proponeret, pro paterna sua benignitate, se de hac re velle cogitare significavit, ac eum rursus advocare, si suppeteret: At iam nunc, inquit, id commendandum videtur, ut pro occasione pertractentur, quae in encyclicis Litteris atque in recenti allocutione brevissime tradita sunt ac summatim: praecipua doctrina capita, aetati nostrae maxime necessaria; ea uberius explicentur, amplius declarentur, defendantur ac latius in vulgus spargantur, quae praesertim ad pacificationem populorum valent magis, ad veritatem ac propagationem Ecclesiae, ad libertatem S. Sedis, ad Missiones catholicas provehendas, aliaque huiusmodi.

3. — Cum habendus esset Genevae in Helvetia conventus legatorum omnium nationum, qui de kalendario immutando agerent, et Summus Pontifex rogaretur, ut vellet peritum virum e suis unum mittere, qui eius nomine concessionibus interesset, Beatissimus Pater in aliquos e Nostris oculos mentemque coniecit et per Em. Cardinalem a Secretis Status petiit, ut P. Iosephus Gianfranceschi, in Gregoriana Universitate scientiarum lector, partes Sanctae Sedis disserens cum doctis illis viris Genevae ageret, dein ad ipsam omnia referret.

4. — Iussu eiusdem Romani Pontificis cum in Urbe Consilium quorumdam constitueretur, qui codicem doctrinae christianae, pueris adolescentibusque in primis accommodatum, novis curis retractarent, rogata Societas quoque est, ut nonnullos e suis doctoribus indicaret, qui in eo Consilio locum haberent. Illico obtemperatum est et quorumdam nomina proposita, e quibus Sancta Sedes elegit PP. Gabrielem Huarte et Augustinum Garagnani.

5. — E Vaticanis Aedibus in nostras ut veniamus, Pater Generalis, ex voluntate PP. Assistentium et medici, debuit ad tempus aliquod Romam relinquere, ut in salubriore loco conquiesceret

viresque reficeret, quo posset iam iam ingruentes Congregationis Generalis labores validius perferre. Est in Alpibus ditionis Brixiensis pagus, quem Caevum (Cevo) incolae appellant, ubi Patres Veneti villam possident pro Nostris et alumnis Collegii Brixiensis. Locus eminet supra mare 1025 metris, ample consitus aut pratis aut ex abiete nemoribus, nec tamen caret messium cultu. Illuc Pater Generalis cum socio profectus est die 4 mensis iulii, indeque Romam reversus die 21 augusti. Quidam divites cives, Societatis amici,, passi non sunt eum via ferrea tractum praelongae Vallis Camunae, quod nomen regionis est, emetiri, sed ipsi suis rhedis automatis, honoris causa, per amoena vallium et ardua montium, ab oppido Rovato, quod venientibus Mediolano Brixiam occurrit, Caevum usque rapidius, commodius, iucundius, grati comites, convexerunt.

6. — Shadowbrook, in ea Provinciae Marylandiae Neo Eboracensis parte, quae Nova Anglia appellatur, die 26 mensis iunii novam probationis domum Nostri inchoarunt. Tam locus quam aedes dicuntur valde apta Novitiorum institutioni: aer saluberrimus, natura tam pulchre circum omnia conformans, ut facile animum in Deum rapiat, tam graviter austereque singula exhibens, ut animi fortitudinem sensim excolat. Domus continere potest centum quinquaginta hominum capita.

7. — Habanae, in Cubana Republica, incolitur primum magno cum bonorum gaudio nova Societatis Residentia, cui coniunctum assurgit novum templum; utriusque fabricator exstitit unus e nostris Fratribus Coadiutoribus. Sacra aedes tam alta est, ut cuncta urbis aedificia superet, tam ampla ac venusta, ut omnibus Reipublicae templis magnificentia praestet. Intuentium oculos illico prae ceteris rebus percellit altare maius ex vario pretiosoque marmore et aere confectum, in quo dulcissima SS. Cordis imago, quam laeta et venerabunda circumdat Beatorum et Sanctorum Societatis corona, prostat. Ad utramque domum, Deo nempe sibique comparandam, nil suae pecuniae Patres insumpserunt, sed quorumdam dumtaxat amicorum stipe usi sunt, qui etiam ingens ad sacros concentus in templo modulandos organum, quod dicitur, ultro donarunt.

Postridie kalendas maias templum dedicandum erat, et Habanensium Episcopus saepius iam significaverat, se alii cuipiam

voluptatem consecrandi Societatis templum cedere nolle; quod pro eius votis cessit. A prandio SS. Sacramentum e templo nostri Collegii ad sacram aedem novae Residentiae rheda automata, quam longo ordine alii amplius quingenti id genus currus sequebantur, vehitur eo spectaculo, cui simile post hominum memoriam Habanae numquam visum sit. Quinque dies festi fuerunt sollemniter acti; templum ingentem multitudinem capere non poterat, quod, ut integra Respublica laetitiam Habanensium quodammodo suam quoque faceret, fere omnes aliarum urbium Episcopi inviserunt, in eo ad populum verba facturi. Finem sacrae gratulationi imposuerunt conciones de novissimis, ad viros dumtaxat habitae, qui magno numero SS. Eucharistia refecti sunt. Sed eadem frequentia diebus dominicis qui secuti sunt perseveravit, e quibus diebus prima dominica mensis iulii illud etiam mirabile vidit, ut mille ducenti pueri puellaeque, quos Nostri rudimentis doctrinae christianae instituerant, Communionem simul facerent, quorum trecenti quinquaginta ad mensam divinam prima tunc vice accumbebant.

8. – Novos Exercitiorum Spiritualium progressus domesticae historiae committere iuvat, velut partem recentium fructuum, quos celebrata anno superiore eorum originis memoria quater centenaria non cessat in Ecclesia producere. Quod Pater Generalis compingendum curaverat album, exhibens nostrarum domorum Exercitiorum photographias, id perbelle confectum Pio XI obtulit, tamquam grati animi pignus pro lata Constitutione Apostolica " Summorum Pontificum ". Volumen constabat imaginibus centum et una, referentibus domos diversas, eas nimirum quarum figuras acceperamus. Illud praeterea ornabant et pulcra libri dedicatio et dinumeratio Exercitiorum clausorum, quae anno 1921 ter milies et ducenties vicies sexies 148.639 viris tradita sunt.

Patres Neerlandici ineunte mense iulio millesimum Venlonae, a condita domo, Exercitiorum curriculum elaborarunt, cui interfuerunt magno cum animi gaudio et emolumento ad 50 sacerdotes.

Duae novae domus Exercitiorum hoc trimestri tempore constitutae sunt, alia ad Collegium Velehradiense in Cecoslovachia, alia Colmariae (Colmar) in Provincia Campaniae, praemissis sollemnibus supplicationibus septimo, sexto, quinto kalendas iulias.

Duo etiam publici congressus de Exercitiis Spiritualibus

habiti, alter Gaudiani (Gozzano) in Provincia Taurinensi pridie Nonas augustas, alter perendie Oeniponte (Innsbruck) in Provinciae Austriae. Gaudianum convenerunt opifices et iuvenes, sed ut res utilius certiusque praepararetur, die 12 mensis iulii, quo die habenda erat apud Nostros menstrua sacerdotum recollectio, praesente et consessores alloquente Episcopo Novariensi, ratio rerum tractandarum diligenter perpensa est. Congressus sibi proposuit Constitutionem Apostolicam " Summorum Pontificum „ fauste celebrare et secundum eius documenta, methodum S. P. Ignatii inculcare. Oratores disseruere de Exercitiis pro opificibus, circulis, iuvenibus in militiam delectis ab eaque reducibus, de Foedere perseverantiae Coetibusque Eucharisticis *(Gruppi Eucaristici)* quibus Exercitiorum proposita toto anno servari melius possunt. Finem imposuit publica ex iuvenibus dumtaxat et viris constans pompa, quae longo precantium ordine SS. Sacramentum per plateam, sitam ante basilicam S. Iuliani, circumtulit.

Oenipontem vero sacerdotes congregati sunt, quibus, antequam consessus initium caperent, copia facta est sese per octo continenter dies ignatiana ascesi imbuendi. Sedem comitiis praebuit Convictus Canisianus: sacerdotes circiter 150 adfuerunt ex utroque clero ac diversis nationibus, Austria, Germania, Cecoslovachia, Iugoslavia, Hungaria, Helvetia, Italia. Ex oratoribus quattuor Nostri verba facerunt de Exercitiis clausis, publicis, traditis ad populum Missionum instar; item scite argumenta evoluta sunt de materia seligenda nostrisque temporibus accommodanda, de variis orandi meditandique modis secundum S. P. Ignatii normas, de ratione qua multi ad peragenda Exercitia adduci possint.

9. – Sua quoque incrementa Missiones exterae habuerunt. Quae in ditionibus Madurensi et Mangalorensi iacent, superiore mense iunio illud partim consecutae sunt, quod Missionum finis proprius est, praeparare nimirum novas dioeceses clero indigena ita instructas, ut suis ipsae viribus vivant et crescant, non secus ac dioeceses in Europa. Iamvero, a dioecesi Trichinopolitana, cuius Missio a Patribus Tolosanis regitur, desecta est ora Piscaria, titulo et dignitate dioecesis Tuticorinensis insignita, eique attributi Episcopus et clerus indigenae; hic ex 23 sacerdotibus indis iam constat, ille vero hac tantum vice electus est e Nostris, patria indis, R. P. Tiburtius Roche.

Ex Mangalorensi autem, quae ad Patres Venetos spectat, di-

visa est Malabaria septemtrionalis, quae novam dioecesim Calecutanam constituet; sed ita ut pars potior, id est Canara meridionalis, tota cum suis operibus, 70 circiter sacerdotibus saecularibus 50 fere seminaristis clero indigenae relinquatur, pars prope adhuc inculta, videlicet Malabaria, Nostris obtingat. Huic praeficitur primus Episcopus RR. DD. Paulus Perini e nostra Societate, qui Sedem Mangalorensem ad hunc usque diem tenuit; Mangalore autem constituitur novus Episcopus ex India ortus, interim cum titulo Administratoris Apostolici. Sicut in ora Piscaria sanguis P. Antonii Criminalis, ita Mangalore sanguis BB. Rodulphi Aquavivae et Sociorum (qui a Mangalorensium atavis est effusus) semen christianorum fuit.

10. – In Missione quoque Russiaca aliquid novi accidit. Sancta enim Sedes statuit supprimendam stationem Krasnodarensem, ut Nostri Rostovium deducerentur, unde discedebant et in Hispaniam redibant duo sodales e Congregatione Filiorum Mariae. Ut fama nostri discessus Krasnodarii vulgata est, magnus fuit miserorum dolor et praeclara gubernii et civium honoris et benevolentiae significatio erga Socios. Inde Patres abierunt in pervigilio diei festi S. P. Ignatii, et huius auspiciis sequenti mane Rostovium sunt ingressi.

11. – P. Iosephus Dahlmann (Prov. Germ. Inf.) cartula epistolari die 6 sept. ex urbe Tokio ad P. Assistentem Germaniae data haec rettulit:

" . . . Singulari Dei protectione summa in calamitate ab interitu omnes servati sumus et etiam Delegatum Apostolicum, cui omnia perierunt, hospitio excipere potuimus. Schola quidem tanta damna passa est, ut fortasse usui iam non sit futura; aedificii autem recenter exstructi subterranea quidem pars valde debilis, reliquae vero solidae apparent. Terraemotus erat horribilis. Ex quattuordecim urbis regionibus (Ku) duae tantum plane incolumes exstiterunt ab incendio; sex omnino dirutae, totidem sive maiorem sive minorem partem destructae sunt. Quattuor ecclesiae paroeciales catholicae, ex iis cathedralis, prorsus concrematae; 2 tantum ecclesiae remanserunt. . . . Facultates philosophica et iuridica Imperialis Universitatis combustae sunt. . . . "

12. – Supremi Italiae Moderatores, unius e Nostris precibus morem gerentes, concesserunt, ut tessera epistolaris, referens imaginem S. Francisci Xaverii, conficeretur, qua omnes, ad unum tantummodo mensem, uti possent in litteris ultro citroque mittendis.

13. – Quod felix faustumque nobis Congregationis XXVII initium dudum adprecabamur, illud factum est Deiparae nascentis auspiciis die 8 septembris, cum pridie vespere Patres, e Provinciis ad haec comitia legati, omnes iam in hoc Germanico et Hungarico Collegio adessent. Communem tamen laetitiam turbavit Patris Nostri valetudo, qua prohibitus est, quominus primis consessibus coram interesset. Verum ne conventus vel tantulum differetur, iussit ipse R. P. Norbertum de Boynes, Provinciae Franciae Electorem, praesidis vicibus interim fungi. Per idem tempus novendiales supplicationes ad S. Franciscum Xaverium ab omnibus simul fieri post litanias communes coeptae sunt, ad impetrandum ut optatissimo Societatis Moderatori vires quam primum restituerentur. Quo magis fidem nostram pietas confirmaret, delatum est in Collegium Brachium S. Francisci Xaverii, quod tam multos aegros hoc anno e morbis recreavit, et duas noctes mediumque inter eas labentem diem in cubiculo Patris Nostri relictum: postea in templum Collegii fertur, comitantibus et preces fundentibus Patribus ac Fratribus omnibus, ibique ad nostram venerationem, sacris de more ritibus persolutis, in apposita arula collocatur.

Dum haec geruntur, Summus Pontifex cum rem cognovisset, illico, qua est erga Patrem Nostrum insigni benevolentia, RR. DD. Camillum Caccia Dominioni, Sacri Cubiculi Praefectum, domum nostram misit, qui ex ipso Patre morbi naturam et vim sciscitaretur, sibique deinde accurate referret. Postquam de iis est edoctus, aegrotum interrogandum curavit, utrum e duobus suavissimi vini generibus, utrumque ad reficiendas vires aptissimum, mallet, quorum nonnullae lagenae in vaticana cella recondebantur. Tantae benignitati repugnare non licuit modestissimo Patri, sed cum medicum interrogasset, hic alterum e duobus statim indicavit. Re a Pontifice cognita, celeriter iussus est domum nostram petere Cubicularius Secretus, R. D. Didacus Venini, duas lagenas secum afferens vetustissimi vini anno 1863 in Polonia ex melle confecti, qui potus Polonis usitatus, simulque significans, Pium, praeter donum, Apostolicam Benedictionem aegrotanti impertire.

Haec nobis quoque, Patres infirmitatem moerentibus, solatio fuerunt, non tanto tamen, quantum attulerunt ea quae mox evenere. Cum enim Pater Noster, obsequente medicorum iudicio et PP. Assistentium desiderio, die 26 mensis septembris a Fratre infirmario et uno e Patribus Neapolim ductus esset, triduo post laetissimus nuntius egregii medici, in Universitate neapolitana doctoris, ad nos ita pervenit: Patrem Generalem e morbo feliciter evasisse, et intra octo vel decem dies posse ad consuetas occupationes redire. Id reapse faustissime evenit: die 6 octobris Pater Noster in Urbem revertit et exinde sessionibus Congregationis Generalis praesidet.

Haec scribenda habebam, nec aliud superest, quam ut me omnium Sacrificiis et orationibus enixe commendem.

Romae, die festo S. Francisci Borgia,
10 octobris 1923.

Vestrum omnium servus in Xto.
HENRICUS CARVAJAL
Secr. Soc. Iesu.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

DE AUREIS IUBILAEIS IN DANIA PERACTIS

Semper nobis grata dulcisque subibit memoria A. D. 1923; duplex enim aureum iubilaeum solemniter egimus, Collegii nempe S. Andreae Ordrupiensis, et Residentiae Aarhusiensis. Quo vero anno 1920, omnium nostrum dolore, Ordrupiense Collegium claudebatur, argenteum celebratum est iubilaeum ecclesiae S. Canuti, cuius schola, superiore anno 1919, quinquagesimum expleverat annum, ex quo, a saeculari sacerdote, in Collegio Urbis Germanico educato, condita est. Quam quidem scholam Nostri, iam inde ab anno 1883, excolendam susceperunt. Qua de re non iniucundum fore existimamus ea paucis attingere ac veluti sub oculos praebere, quae in Dania, quinquaginta annorum spatio, ope divina, Nostri peregerunt.

Collegium S. Andreae Ordrupiense.

Anno 1869, Domina Polly Berling, matrona nobilis, cum catholicam fidem, quam erat amplexa, iuvare peroptaret, audissetque de Nostrorum expulsione e Germania, eos rogavit ut, eius ipsius expensis, apud rus quoddam "Ordrupshos„ nomine, prope Hafniam (Kopenhagen) situm, gymnasium erigerent.

Porro Patres nostri, mense sept. 1872, in Daniam advecti sunt. Ibi, quo melius invidiosos rumores vitarent, hic et illic dispersi primo laboraverunt, nec vitam communem agere ausi sunt ante mensem feb. anni 1873, quo tempore, apertae sunt domus Ordrupii, Hafniae et Aarhusii. Quae domus, non multo post,

Praeposito Provinciali, nullo Superiore Missionis, qui dicitur, intermediante, subiectae fuerunt. Interea aedificia novi collegii Ordrupiensis perfectae sunt: mense vero maii 1873, ecclesiae S. Andreae, quam Domina Berling fundatrix diligentissime ornaverat. Praefectus Apostolicus, bene multis adstantibus, solemnem benedictionem impertivit. Die autem 30 eiusdem anni, scholae initium datum est. Tredecim tantum numerabat alumnos, e quibus 9 Dani, 2 ex Norvegia, unus e Suecia et unus Germanus erat.

Crevit quidem, decursu temporis, eorum numerus, sed adeo lente ut non parvo timore angeremur. Inter varias difficultates, quae novae scholae obiiciebantur, maxima certe erat quod huius regionis catholici paucissimi numerabantur, adeoque rerum inopia plerique opprimebantur, ut sumptus ad liberalem educationem pueris praestandam requisitos vix aut ne vix quidem sustinere possent. Apud acatholicos vero grassabantur pessima praeiudicia contra Ecclesiam Catholicam et Societatem nostram, quamquam id semper egeramus ut rectior veriorque notitia de rebus catholicis spargeretur. Quod quidem facilius obtineri posse videbatur si, praeter catholicos, acatholicos etiam discipulos in scholam suscipiendi daretur facultas, unde etiam feliciter augeretur discipulorum numerus.

Equidem has difficultates paulatim superatas esse ultro fateor, neque sibimet mediocrem laudem Collegium nostrumattul it neque rei christianae modicae utilitati fuit, cum in praeiudiciis evertendis bonaque fama Ecclesiae comparanda tanta cum constantia tamque felici successu adlaboraret. Immo, cuiusdam gymnasii Rector, vir acatholicus, hoc dolendum esse scripsit quod talis schola auferretur. Quam sententiam secutus est tum inspector, quem vocant, eiusdem gymnasii, tum etiam duo viri fratres, bonae notae magistri, — quorum pater acatholicum collegium Ordrupiense olim fundaverat, — qui omnes aperte dixerunt, hanc rem maximo damno fore municipio. Postquam vero, anno 1906, a gubernio publica examina habendi facultatem assecuti sumus, in dies crescebat numerus discipulorum; ex quibus 111 cum testimonio maturitatis dimissi sunt. Universi vero discipuli connumerantur 1611 qui, hisce 47 annis quibus Collegium floruit, humaniores litteras moresque christianos apud nos edocti sunt.

Cum Danis alumnis, plures etiam ex septentrionali parte Germaniae, iuvenes — universim 353 — coniunctim primo, postea vero separatim, a Nostris instituebantur. Qui Germani, ad Col-

legii prosperitatem non parum contulere. Etenim, praeterquam quod Danis optimam occasionem linguae germanicae addiscendae praebebant, isti boni iuvenes, quippe qui ex lectissimis familiis catholicis plerique orti, in terra Missionis nostrae Ecclesiae existimationem auxerunt, optimaeque aedificationi Danis non raro fuerunt. At bello 1914 commisso, iam prohibiti sunt quominus in Daniam redirent; neque multo post, anno scilicet 1920, ob gravissimas rationes, maximo omnium dolore, discipulorum praesertim Nostrorumque, Collegii Ordrupiensis fores obiici debuerunt. Dominus dedit, Dominus abstulit, sit Nomen Domini benedictum!

Stat, ante ecclesiam S. Andreae, lapis a gratis discipulis erectus, in quo exprimitur eorum spes, Collegii scilicet denuo ianuas patefactum iri. Quod etiam a RR. DD. Episcopo defuncto vehementissime exoptatum fuit. Re quidem vera, sperare omnino fas est tantum laborem sudoremque a tot veteranis tot annos in hac ardua vinea Domini effusos, id a Deo O. M. obtenturos esse ut, ubi patres olim in dolore severunt, ibi aliquando multam messem in exsultatione posteri metant.

Collegium S. Canuti Hafniense et Ecclesia SS. Cordis.

Enarratio apostolicorum laborum, quos Patres nostri in urbe Hafniensi praestiterunt, luculenter ostendet quam durum sit omne initium. Primi Patres qui, e Germania anno 1872 expulsi, Hafniam venerant, partem extremam septemtrionalem urbis incolebant, via quadam solitaria, quae iure meritoque " Solitudo „ vocabatur. Porro, anno 1876, superiore cuiusdam domus contignatione in ipsa urbe conducta, Marianam virorum Congregationem constituerunt, cuius tam exigua fuere primordia, ut in sacello domestico conventus suos habere posset. Anno vero sequenti, alia domus empta est, cuius in infima parte publicum sacellum, non magnum quidem sed pulchrum, instruxerunt, supremam vero contignationem pauci Patres cum uno alterove fratre coadiutore habitaverunt.

In media urbe, duas inter praecipuas plateas, hortus magnus intererat. Quo empto, novam plateam construximus, atque ab urbis magistratu, difficultatibus nonnullis superatis, obtinuimus ut " Stenosgade „ appellaretur, in memoriam nempe Nicolai Stenonis, viri clarissimi, qui, religione Lutheri derelicta,

anno 1667, catholicus primum, deinde sacerdos et episcopus factus est. Ibi, anno 1887, scholam novam non adeo magnam cum domicilio pro Nostris aedificavimus. Sacellum etiam paravimus, in quo deinceps, dominicis festisque diebus, Sacrum solemne cum concione habebatur. Vespere, hiemali saltem tempore, concione praemissa, benedictionem Venerabilis impertiebant. Concionator vero iussus erat quot homines adessent inspicere; tribus tantum vel quatuor adstantibus, — quod initio non raro accidit, — concio omittebatur. Sed paulatim numerus eorum, qui sacellum frequentabant, ita crevit ut ibi iam homines contineri non possent.

Tempus instabat ecclesiae aedificandae, quod quidem ab initio in votis fuerat. Nova ecclesia, SS. Cordi Iesu dicata, anno 1895, ingenti Nostrorum et populi gaudio, a RR. DD. Episcopo Ioanne von Euch, solemni ritu benedicta est. Abhinc, plurimi homines, praesertim non-catholici, undique in ecclesiam confluebant, alii curiositate allecti, dignitate et pulchritudine caeremoniarum alii. Laudabant omnes unanimiter novam nostram ecclesiam, cuius est artifex quidam frater coadiutor; nova potissime altaria, organum et suggestus pulcherrimus omnium attrahebant oculos. Ad augendam vero bonam huius ecclesiae famam, valde sane contulit cantus et musica quae in primis semper a peritis Patribus colebantur. Diebus dominicis, quibus hieme plerumque concio apologetica habebatur, ecclesia auditores capere fere non poterat, praesertim cum P. Brinkmann, celeberrimus concionator, ad populum verba faceret. Qui divinis interfuerant officiis et concionibus, alios etiam de rebus visis et auditis alloquebantur; unde multi Ecclesiae catholicae cognoscendae ardenti studio incitabantur. Plures quoque privatim ad nos ventitabant, de rebus catholicis rogaturi; multi petebant ut in doctrina catholica scientifica ratione instituerentur. Quorum votis obsecundando, ad bonam frugem redeuntium numerus quotannis ad 30 vel 40 crevit. Inter eos, qui catholicam fidem amplexi sunt, locum obtinet celeberrimus ille scriptor et poeta Ioannes Jörgensen, cuius quidem conversio non solum existimationem catholicorum valde auxit, sed plurimos etiam ad catholicam veritatem amplectendam primum permovit.

Maiore condita virorum Congregatione, quae christianis moribus promovendis mire prodest, alia mox instituta est Sodalitas Mariana pro iuvenibus, qui inde ab anno 1879, singulis hebdo-

madis in ecclesiam conveniebant, et, sermone audito, in domo nostra inter se cum praeside suo familiariter confabulabantur.

Non est dubium quin haec Congregatio, quae nunc 100 fere adunat sodales, una cum aliis iuventutis unionibus Nostrorum sollicitudini commissis, multos iuvenes ab aetatis suae periculis illecebrisque corruptae urbis mirum in modum servaverit. Editum fuit etiam a Nostris aliquod periodicum ad catholicam iuventutem destinatum.

Quod scholam nostram seu " Collegium inchoatum „ attinet, postquam a gubernio obtinuimus ut examina nostra publice agnoscerentur, uti veri nominis Collegium habetur, et a plus quam 300 discipulis, plerisque catholicis, frequentatur.

Quaerat fortasse quispiam qua ratione huius regionis protestantes ad veri cognitionem perveniant. Quis vero investigabiles Domini vias scrutari valeat! Minimis quidem et valde remotis mediis utitur divina Providentia, ut errantes ad unitatem Ecclesiae revocentur. Alii catholici fiunt, quia saepe adeunt ecclesiam; alii a quibusdam catholicis iamiam bene dispositi ad sacerdotem ducuntur; alii bono catholicorum exemplo moventur, ut in religionem catholicam inquirant. Sunt qui libros catholicos legant; vel qui in libris non-catholicis aliquid inveniant, quod eos provocet ad cogitandum de Ecclesia. Persaepe etiam casus fortuiti, quos vocamus, medium gratiae evadunt. Puella quaedam, verbi gratia, via transiens, ut Dominum in SS. Sacramento praesentem salutet, sacellum ibi erectum ingreditur. Mulier quaedam protestantica eadem in platea secus illam ambulabat. Ingredientem puellam ipsa sequitur, illamque observat reverenter ante altare genua flectentem, atque devote paululum orantem. Vehementi admiratione movetur mulier; puellamque, mox egressam, rogat quid hoc sacellum, quid hae genuflexiones sibi velint. En illi via ad veram vitam inveniendam. Aliud exemplum: aegrotos catholicos in publicis nosocomiis pluries invisimus. Quo cum illis modo sacerdos agat alii aegroti inspiciunt, mirantur. Deinde vero cum catholicis colloquentes, eos rogant ut, sacerdotem, cum proxime advenerit, certiorem faciant seipsos libenter cum eo colloquium habituros esse.

Saepe item, in his nosocomiis, accidit ut aegrotis Extremam Unctionem administremus. Protestantes, in eodem cubiculo iacentes, omnia attente observant et, quid agatur intelligendi cupidi, sacerdotem ad se vocant, et: " Quam pulchrum! inquiunt,

quid quaeso significat? „ Libentissime sacerdos explicat hoc esse sacramentum aegrotantium et morientium solamini a Christo Domino institutum. Ecce primi ad Ecclesiam catholicam amplectendam gressus.

Aarhusiensis Residentia.

Provinciae Germaniae Sociis, e patria expulsis, pergratum omnino exstitit Praefecti Apostolici votum stationis in Dania condendae, in praecipua quidem urbe Yutlandiae, *Aarhusiensi* scilicet, ubi quamquam pulcherrima Cathedralis ecclesia iam inde a saeculo XII erecta pristinae gloriae memoriam tenet, praxis tamen catholicae doctrinae omnino desiderabatur.

P. Augustus Sträter, anno 1873, inferiorem cuiusdam domus contignationem conduxit ubi, pridie kalendas maias, sacris primum operatus est, duobus tantum catholicis viris hac in urbe degentibus. Urbem interim peragrabat Pater, pro domo ecclesiaque erigenda fundum empturus. Quem tandem invenit in loco satis ab urbe dissito; sed praevidebatur fore ut, decursu temporis, urbe nostram domum versus accrescente, centrum civitatis tandem occuparemus. Anno vero 1875, cum sacellum advenientibus iam non sufficeret, novum extructum est, ubi, eodem anno, 15 adulti in Ecclesiae sinum recepti, sacramentum Confirmationis susceperunt. Nova item domus aedificaverunt Patres nostri in qua paulo post scholae catholicae initium factum est uberesque fructus collecti: nam ipsi pueri, missionariorum instar, adultos convertendos ad nos adducebant.

Quod, obeunte P. H. Zurstrassen, anno 1881 evenit, notatu sane dignum est. Cum enim catholicis non liceret publice secundum ritum suum mortuos sepelire, praeter omnium spem, hac occasione pars aliqua publici coemeterii data est, in qua omnes catholicos ritus deinceps haberi fas fuit.

Eodem anno 1881, novum Immaculatae Conceptionis templum, idque pulcherrimum, RR. DD. Gaspar Mermillod, Episcopus Genevensis, ingente populi concursu et summa cum solemnitate, consecravit. P. Augustus Sträter, qui stationem Aarhusiensem fundaverat, ab ipso gubernio parochus est renuntiatus.

Hoc dimidio saeculo ad finem vergente, Missio Aarhusiensis plus quam 1000 catholicos recenset, quorum 500 in ipsa urbe,

reliqui hic illic dispersi; e protestantibus vero, 331 Ecclesiam catholicam amplexi sunt.

Hos inter primas tenet celeberrimus ille Dr. Krogh-Tonning, qui quidem e Norvegia oriundus, in templo tamen Aarhusiensi fidem catholicam professus est. Item iuris peritissimus Rudolphus Schwenn conversione sua catholicorum auctoritatem magnopere auxit.

Praetereundum denique non est Apostolatum Orationis, hac in domo Aarhusiensi, sedem habere praecipuam, ibique insuper in lucem prodisse libellum de cultu erga SS. Cor Iesu ac periodicum, cui nomen: " Nuntius SS. Cordis „.

Ex his quae hactenus delibavimus, satis profecto superque constat " gratiam Dei „, elapso hoc dimidio saeculo, in nobis " non fuisse vacuam „. Cum primi advenerunt Patres, pauci omnino catholici habebantur et, super quam credibile est, toto regno religio catholica despecta erat. Intelligere enim Dani nequibant hominem sanae mentis ad Ecclesiam catholicam posse transire. Sed paulatim opinio publica prorsus mutata est: admirantur multi Ecclesiam, etsi eam non amplectantur; cum reverentia de ea scribunt et loquuntur, omnesque nunc, paucos fanaticos si excipias, quos tamen ubique terrarum invenias, bene de Ecclesia sentiunt.

Ad hoc vel paululum contulisse, gaudium et laus summa eorum est, qui in hac vinea diu infructuose laborarunt; illis autem qui cum exsultatione metere incipiunt, ubi veteranis in lacrimis serere datum est, spes inest maxima fore ut plura in futurum conferre possint. Omnes porro socios fratresque, per mundum universum dispersos, enixe rogamus ut in orationibus sanctisque sacrificiis memores sint " regionum septemtrionalium „ ad quas nos quoque pertinemus et quae S. P. N. Ignatio tantopere cordi erant.

II.

CONSOCIATIO VIENNENSIS AD PLEBEIORUM ANIMOS EXCOLENDOS

(Verein Volksbildung).

Haec consociatio originem ex alia duxit, quae e Nostrorum nonnullis constituta, europaeo bello furente, militibus sive in acie pugnantibus, sive vulneratis aegrotisque in nosocomiis decumbentibus, libros atque libellos bonos tradendos sedulo curaverat.

Multa quidem cuiusvis generis obstacula huic operi salutari undique obiiciebantur, non ideo tamen qui coeperant, animo defecerunt. Ad finem iam bello vergente, quattuor cubicula conducta sunt, iisque rebus, quae negotiis eiusmodi expediendis requiruntur, instructa satis; praeterea validum auxilium praestiterunt Congregationis Marianae sodales. Quo factum est ut opus, bello peracto, non relinquendum, sed nova potius ratione prosequendum esse censeretur.

Qui tunc ei praeerat, cum probe sciret turbulentissimis huiusmodi temporibus, veluti in ea, quam reformationem dictitant, itemque anno 1871 in Gallia acciderat, vulgi invidiam odiumque foliis volantibus, quae vocant, excitari, atque ut idem in Austria eveniret Ecclesiae hostes contendere videret, religionis defendendae causa, eadem uti ratione constituit. Quos libellos, quo facilius emi possent libentiusque legerentur, breves, ad sensum popularem vulgaremque accommodatos, delectatione plenos minimique pretii esse oportere plane intellexit.

Hoc porro consilium superiores ultro approbaverunt et Archiepiscopus Viennensis, Em. Card. Piffl, summo favore prosecutus, benedictione atque pecunia iuvit; profuit etiam quod nummorum reliquum erat ex dono 10.000 coronarum, quas tribus mensibus ante belli exitum, Zita Augusta, Caroli Imperatoris coniux, ad libellos precum militibus coemendos destinaverat.

Socialistarum duces rerum fere potiti, ut asseclis ardentioribus morem gererent atque haberent unde sibi suisque pecunias raperent, id imprimis tunc temporis vulgo proposuerunt ut pe-

cuniae bonaque Ecclesiae, quae immensa esse effutiebant, in universae plebis usum ac commodum publicarentur. Periculum in mora praevidens, Pater statim libellum confecit cui titulus: " Heraus mit dem Kirchenvermögen „ (" Nostra sint Ecclesiae bona „). Qui quidem forsan omnium optime conscriptus, miro ardore exceptus et lectus est ita ut eius 230.000 exemplarium brevi tempore divenderentur, catholici vero ad subsequentes electiones politicas parandas, quae felici exitu cum summa Ecclesiae utilitate non caruerunt — eundem in populum late divulgarent.

Dolendae ac tristissimae post bellum condiciones, alia profecto plura necessario tractanda offerebant, ne popularium animi penitus indefensi socialistarum impetum sustinerent. Aliis proinde volantibus foliis, sive litterae pastorales Episcoporum omnium Bavariae et postea Helvetiae contra socialismum propagabantur, sive Deum esse iis demonstrabatur qui belli perculsi calamitatibus impiisque sermonibus in praeceps devecti, de hoc potissinum rationis dogmate ambigere et desperare coepissent, sive demum iuvenes, e bello reduces, ut ad Deum redirent ac Beatissimam Virginem Mariam colerent, insistebatur.

In aliis foliis, actum est de confessione, de cadaverum crematione, de Germanico-Catholicorum et Adventistarum sectis.

Cum vero periniqui Ecclesiae hostes imprimis matrimonii sacramentum impeterent et scholam sibi vindicare conarentur, haec strenue defendebantur, novum Herodem describendo, scelestissimum nempe Glöckl, qui, scholis publice administrandis tantisper praepositus, in iis omnia quae christianum nomen sapiunt, evertere nitebatur, ita ut Herodis instar, iam non corpora infantium, sed animas ipsas interimeret. Cum porro de schola tuenda Episcopi Austriae litteras pastorales edidissent, hae quoque, ut folia volantia typis exscriptae, magno 20.000 exemplarium numero diffusae sunt.

Summae vero hoc utilitati fuit Missionibus popularibus in maioribus urbibus parandis. Veluti cum ex voluntate Em. Card. Piffl in multis templis Viennensibus Missio simul habenda indiceretur, circiter 225 millia exemplarium distributa sunt libelli, cui titulus: " Nihil ad me „ qui civium animos vehementer commovit, ut gratiae Divinae sibi ipsis oblatae sedulo responderent. Ita factum est in urbe S. Hippolyti, Klagenfurti, Klosterneuburg, Oeniponti, ubi singulis familiis tria diversi generis folia tradita sunt. A vero profecto non longe absunt qui censeant

Missionum felicem exitum huic praevio labori magnam partem esse tribuendum.

Mirum sane non est quod adversarii, cum conatus suos impios infringi atque insidias detegi viderent, bono libellorum operi qua potuerunt ratione obstiterunt; ephemeris, aperte liberis muratoribus addicta, et socialistarum aliae opus totis viribus impugnaverunt, at frustra. Uberrima Divina aderat benedictio; cum enim calamitosis hisce temporibus multa ad sane scripta propaganda prospere incepta, ob pecuniae penuriam deseri deberent, Consociationi nostrae contra adeo non defuerunt piorum hominum largitiones et sodalium B. M. V. sollertia, ut non solum non deficeret, sed etiam in dies cresceret resque novas aggredi posset. Usque ad ineuntem mensem septembrem anni 1923, libelli 21 typis exscripti erant, eorumque decies centena quadraginta millia exemplarium distributa.

Cuius quidem apostolatus cum utilitas atque etiam necessitas in dies magis appareret, non folia modo, ab ipsa in lucem edita, haec Consociatio ubique spargit, sed aliorum etiam bibliopolarum multa utilia divendenda in se suscepit. Ut v. g. familiis christianis provideret quod sine fidei morumque periculo omnes legerent, periodica catholica coemenda et statuto ordine sociis, modico mutuandi pretio soluto, porrigenda curavit, tam laeto eventu, ut altero anno exeunte, 1000 periodica hac ratione legenda data essent, cum maximo familiarum emolumento, tum etiam catholicorum commodo librariorum, qui alias tot periodicorum exemplaria divendere nequaquam potuissent.

Rem Consociationis pecuniariam saeculares viri optimae notae iidemque periti ita administrant, ut Nostri, ab huiusmodi curis molestiisque vacui, in spiritualem potius utilitatem in hac Consociatione requirendam animos intendere queant. Perillustrium quidem virorum laudes approbationesque minime defuerunt, quaeque huius Consociationis opera in animarum salute procuranda Viennae peracta sunt, aliis quoque exemplo atque incitamento fuere ut, eadem incedentes via, et Divinae promovendae gloriae et Ecclesiae sanctae defendendae, omni ope conatuque studerent.

III.

DE FESTIS GOAE CELEBRATIS

ad sepulcrum S. Francisci Xaverii anno ter saeculari ab eius canonizatione.

Cum die 12 martii 1922 auspicato beatus recurreret dies, in quo ante revolutum ter centies orbem, ad Caelitum honores evectus est S. Franciscus Xaverius, Goa, — *civitas S. Francisci Xaverii*, ut iure meritoque appellatur, quippe quae eius augustum et incorruptum corpus suo in sinu gloriose fovet, — Goa, inquam, haud facere poterat, quin inclytum Patronum suum, carumque Parentem solemnissimis festis non honestaret.

Goa, *Vetus Goa* (vulgo *Velha Gôa*), ut hodie appellatur, olim celeberrimum emporium totius lusitanae ditionis in Oriente, est hodie dirus ruinarum acervus ubi, ex tot fulgidissimis et artis et religionis monumentis, quibus olim clara erat, solum aliquot adhuc stant ecclesiae et monasteria.

Inter haec templa praestant amplissima Ecclesia Cathedralis, ubi adhuc Capitulum Cathedrale amplius 35 sacerdotum chorale officium quotidie persolvit cum non minore magnificentia quam in quavis urbe Europae, et Ecclesia *Boni Iesu* (vulgo : *Bom Jesus*), olim Domus Professa Provinciae Goanae S. I., ubi Patroni nostri corpus requiescit.

*
* *

Centenaria festa initium sumpserunt in Ecclesia Boni Iesu ab ipso ter centenario expectato die, 12 martii 1922, ex quo in Sanctorum album relatus est Apostolus noster. Zelo et industria Administratoris huius Ecclesiae, nempe Canonici Ecclesiae Cathedralis P. Franklinii de Sá, viri erga Sanctum devotissimi, novendiales preces *de gratia* vulgo nuncupatae celebri cum frequentia populi peractae sunt. Die 12 martii tam ingens multitudo sepulcrum Apostoli accurrit, ut cogitares agi de ipso die 3 de-

cembris. Magna cum voluptate gregis sui Exc.mus D. Patriarcha Pontificalem Missam in honorem Patroni nostri concinuit, Apostolicamque Benedictionem populo adstanti impertitus est.

Pietati fidelium in hac unica occasione satis fieri haud erat possibile, quin publicae exponeretur fidelium venerationi sacrum Defensoris nostri corpus. Hinc vota et postulata sine numero ad D. Patriarcham delata.

Sed difficilis, imo dicam impossibilis videbatur res. Et, ut de ceteris reticeam, propter abnormem conditionem hodierni lusitani gubernii, quippe qui, etsi infensissimus religioni Christianae, attamen quo olim fidelissima natio lusitana a S. Sede donata fuerat, ius Patronatus lusitanum gubernium in Oriente totis viribus sustinere adhuc aggreditur. Hinc nihil D. Patriarcha decernere licebat, quin gubernii lusitani auxilium et opes haberet. Arduae rei solertem manum D. Patriarcha admovit, et ita prospero exitu, ut gubernium lusitanum sincere validas suppetias et promisit et quidem revera praestitit.

Nihil amplius erat morandum. Die 3 aprilis 1922, translationi corporis Patroni nostri dicato, D. Patriarcha populo suo evulgabat incorruptum Indiarum Apostoli corpus mense decembris pio fidelium cultui exponendum fore unaque fideles docens quibus cum animi sensibus huic sanctae rei praeparandum esset.

Sed multa erant paranda. Aptandum solum praecipue autovehiculis, mundanda templa, purganda vetera remanentia monasteria, fidelium turmae recipiendae, apparanda supellex tot Episcopis et aliis illuc venturis, etc. Sed de his non est cur hic fuse loquar. Omnia plene et absolute, quantum desertae urbi fas est, adornata fuerunt, duce in omnibus D. Patriarcha, et ope non denegante civili gubernio, sed praecipue solertia Administratorum, quorum cura unumquodque monasterium fatali ruinae adhuc resistens concreditum est; inter quos referre decet laudatus P. de Sá, qui difficile dictu, quantum desudaverit ut in Templo et in Domo Professa Boni Iesu, omnia essent ad unguem comparata.

*
* *

Haec inter D. Patriarcha Indiae Episcopos de hac futura expositione certiores fecit, ipsosque, eorumque a secretis adiutores ut suos hospites invitavit, et cum per exceptionem, sacro expositionis tempore tantum, gubernium civile Goam ingredi reli-

giosis utriusque sexus permisisset (quibus per iniquas lusitanas leges alias non licet), simul nuntiabat, ipsos ceterosque sacerdotes, Goam cogitantes, in amplissimo S. Monicae monasterio hospitium inventuros.

Cum vero multos ante menses futuram expositionem omnes scirent, longum tempus suppetiit, ut in multis Indiae dioecesibus speciales peregrinationes ad Sancti tumulum apte ordinarentur, cumque catholici in omnes late patentes Indiae tractus sint dispersi, Episcopis suasoribus, viarum ferrearum moderatores rogarunt, ut per solidum expositionis tempus vecturarum pretium minueretur. Et spes ipsos non fefellit; omnes enim moderatores hoc lubenti animo concesserunt.

Instante iam tempore, D. Patriarcha per omnes Goae ecclesias sacras preces edixit. Quamvis huius narrationis finis sit solum de festis ad S. Francisci tumulum peractis referre, de his tamen tacere non decet. Datis litteris die 26 octobris 1922 publici iuris faciebat servatis consuetis conditionibus, indulgentiam plenariam ad instar iubilaei omnes Sancti sepulchrum adeuntes lucrari posse die 30 decembris et iterum semel tantum durante expositione. Ut populus tantae solemnitati debitam anteponeret praeparationem triduanas preces per totum Patriarchatum imperavit.

Praeterea vespere expositionis initii, 2 decembris, in omnibus ecclesiis et sacellis aereas campanas bis festivo et hilari ritu pulsandas, frontesque ecclesiarum et sacellorum, vel saltem eorum turres festis luminibus decorandas iussit. Qui quidem ritus erat etiam in vigilia conclusionis expositionis servandus.

Ut fidelium necessitati, ut decebat, fieret satis, impetravit ut confessarii indos sermones bene callentes semper prostarent in Ecclesia Cathedrali et Boni Iesu ad populi utilitatem et solamen. Denique in Sacerdotum favore, ex S. Sedis concessione, indulgebat ut sacris litare possent a 1ª hora matutina ad 2ªᵐ pomeridianam, una cum facultate ad Missam votivam S. Francisci, exceptis solum duplicis I classis diebus, dicendam.

*
* *

Tandem aliquando dies tam anxie expectati prope advenerunt. Dies 24 novembris solemnibus novendialibus precibus, ut mos semper fuit, fit initium. Si quotannis deserta Goa civitas adimpletur id temporis advenis, quo fieri poterat ut hoc anno longe

ante diem ad expositionis initium constitutum fideles certatim ad S. Francisci sepulcrum non advolarent? Et profecto, tam magna caterva populi ex primo die harum novendialium precum illuc affluerat, ut, conspecta hac multitudine, quis crederet agi de caduca urbe, dum illa populo ingenti culta appareret? Sed de festis loquendum.

Dies ad S. Francisci exuvias populo universo patefaciendas stabilitus fuit ipse dies festus, 3 decembris, quamvis Dominica I Adventus incidisset. RR. DD. Petrus Pisani, Romani Pontificis in India Apostolicus Delegatus, tanto festo honorando praesentia sua benigne annuit.

Post cantatas Pontificales Vesperas die 2 decembris tali cum musices concentu, decorationis splendore, luminum fulgore, cleri populique frequentia, qualis alibi in India inveniri non datur, pretiosa capsa integras S. Francisci exuvias continens ex ipsius mausoleo demissa, ad sacrarium templi elata est. Illic adstantibus RR. DD. Delegato Apostolico, aliquot Episcopis, Capitulo, Goae Gubernatore cum suis ministris, exiguo, selectoque fidelium numero (inter quos aliqui sacerdotes S. I.), urna sacrum Defensoris nostri corpus includens, tribus clavibus quibus obseratur revolutis, aperta est. Beati oculi, qui hoc spectaculum conspexere! Videres omnes pie et religiose S. Apostoli pedes deosculari, faciem mirari, his speciosissimis pedibus coronas, numismata etc. contingere, cor suum intime Patrono nostro pandere, et quid plura? neminem a lacrimis temperare!

Per totam illam noctem sacrum corpus luminibus instructum in sacristia mansit, sequenti die populo universo solemnissimis caeremoniis manifestandum.

Interim in templo Boni Iesu apparatui augusto corpori exponendo ultima accedebat manus: in templo amplum erat erectum tabulatum, super quod totum argenteum mausolaeum, a basi sua remotum, ex altari item demissum, locabatur. Partitionis mausolei, ubi capsa recondens corpus iugiter manet, omnes argenteae colaturae dimotae erant, tantumque manebat simplex vitrum, quo sacrum corpus ab omnibus conspici posset; age vero, latus quod pedes tangit ipso vitro etiam expers erat, ut fideles Sancti pedes deosculari, ipsosque religiose tangere possent. Ex quatuor lateribus arcae altaria erecta erant, ubi a 1ª hora matutina Sacris operari licebat. Quanto solatio sacerdotibus fuit divinam afferre Hostiam coram se habentes Apostoli

nostri corpus! Altare vero quod versus pedes Sancti manebat, cum quotidie aptum tempus ad populum sacris pedibus venerandis admittendum adveniebat, removendum erat.

*
* *

Tandem oriens diei 3 decembris sol festam lucem adduxit; a summo mane Vetus Goa repleta erat gente ex omni loco, colore et religione, inter quam plures infirmi et languidi qui in lectis portabantur pleni fiducia sanitatis reperiundae.

Hora 8 matutina ex Ecclesia Cathedrali persolemnis ducta est pompa ad sepulcrum S. Francisci, quod non procul consistit. Praeter RR. DD. Delegatum Apostolicum et Patriarcham, intererant RR. DD. Episcopi Damaensis, Coccinensis, Trincomaliensis, Mysorensis et Coadiutor Vizagapatamensis, clerici innumeri nempe totum Rochclense Seminarium, Parochi ex suburbanis paroeciis, complures Sacerdotes et saeculares et religiosi, praeter Capitulum Cathedrale, omnino circiter 600 clerici. Hos sequebatur populus innumerus, seu iuxta probabiles computationes 25 ad 30 millia attingens. Sub cantu Litaniarum Sanctorum sacra pompa ordinate et devote sacrarium Boni Iesu ingressa est, ubi praedictis Episcopis et Decano Goani Capituli sacrum corpus in humeris attollentibus, gestiente populo, laetitiaque exsiliente, omnes in templum Boni Iesu ingressi sunt. Verba deficiunt, ut calamo animi sensus populique gaudium, describam, cum carissimi Parentis visu potitus fuerit. Unum restabat illius sacros pedes religiose deosculari, illisque pie res sacras contingere!

Publice exposito Patrono nostro, RR. Delegatus Apostolicus Missam Pontificalem cecinit. Sub Evangelio Rector Seminarii Rocholensis concinnam habuit de Sancto orationem. Missa finita, papalique Benedictione impertita, D. Patriarcha populo universo sacram S. Francisci Xaverii corporis expositionem inceptam renuntiavit, moxque ipse cum adstantibus Episcopis, Capitulo, Goae Gubernatore, etc., ad sacros pedes deosculandos accessit. Continuo talis plebis incursus ad Sancti pedes prorupit, ut nisi armatae manus vi populum repellerent, omnia in terram ruerent, nihilque incolume remaneret!

Hoc solo die fideles ex fere tota India ad S. Francisci pedes supplices accesserunt: nam, ut periodica folia renuntiarunt, ex di-

versis locis fideles, nempe: Bombay, Calcutta, Bettiah, Tuticorin, Peshavar, Cochin, Lahore, Quetta, Travancore, Mysore, Mylapore, Hyderabad, Vizagapatam, Guzerat, imo Ceylan et Singapore, voti causa et religionis Goam petierunt. Hoc die et per totam expositionem religiosos omnium Ordinum, sororesque tot Congregationum, quot Indiam incolunt, ibi videres et quidem cum eorum peculiaribus vestibus. Cogitares procul dubio Goam pristinum suum splendorem denuo induisse. Sedato vero primo impetu, populus ad pedes honorandos in pace accessit. Visa hac mirabili re, qualiter animi intuentium morarentur referet nobis periodici protestantis " Madras Mail„ nuntius, a moderatore ut relator Goam missus. Haec ille inter alia : " ... Quis populum considerans sacros pedes deosculantem et Sancti faciem mirantem, non revereatur magnitudinem, hominisque vim, qualiscumque est tandem uniuscuiusque religiosa opinio?... Ego prope Delegatum Apostolicum et Patriarcham adstiti, dum ipsi Sancti iampridem demortui pedes venerarentur, hodie miratus sum Episcopos cum humili et demisso populo admixtos, omnesque anxie Sancti pedes tangere exoptantes; gratissimum quidem spectaculum Ecclesiae proceres cum plebe ita permixtos contemplari... ».

Audiatur etiam RR. DD. Delegatus Apostolicus qui spectata hac pompa, populi multitudine et pietate, itemque cultus magnificentia et decore quibus Goae sacrae caeremoniae celebrantur, non dubitavit publice coram omnibus fateri Goam recte appellari: *Romam orientalem!*

Sed credes forsan catholicos tantum ad Patronum nostrum honorandum accurrisse! Minime gentium! Miranda profecto res! Protestantes, mauros, zoroastraeos, budhistas, omnes infideles omnesque acatholicos, quibus India infeliciter repleta est, a primo die usque ad supremum Goam affluere videres, Sancti pedes devote colere, ad eius sepulcrum supplices orare, largas eleemosynas pro cultu elargiri et pro acceptis beneficiis Missae sacrificium grato animo exquirere. Sed quid miraris? Nonne Sanctus ipse non nullos ex his stupendis curationibus donavit? Sed de hoc paulo inferius sermo redibit.

*
* *

Fatendum tamen primis his diebus difficile populum ad corpus visendum et venerandum libere accedere potuisse, sed paulatim decrescente iam primo incursu et multitudine minuente,

omnes expedite accedere potuerunt, et adeo erant omnia bene disposita ut quotidie 15 millibus hominum sacri corporis osculum pateret. Infirmis vero et non bene valentibus ampla erat copia sacris exuviis visitandis.

A die 4 decembris peregrinationes Goae paroeciarum et Missionum incepit iuxta praestabilitum ordinem. Insuper iis dioecesibus Indiae, quae hoc a D. Patriarcha rogarunt, servati fuere peculiares dies. Harum peregrinationum sequens fuit tenor: fidelibus uniuscuiusque paroeciae, quibus ex condicto aliquod, quo cognosci possent, erat statutum signum, sub ductu parochi Ecclesiam Cathedralem adeuntibus, hinc ad Ecclesiam Boni Iesu sacra instituebatur pompa. Confraternitates, associationes, Congregationes Marianae cum suis vexillis et insignibus devote procedebant, sub cantu Litaniarum. Sepulcrum Sancti ingrediente pompa, solemnis sequebatur Missa. Pia concio in populi sermone, eum in amorem et in fiduciam in Patrono nostro exstimulabat. Tandem omnes pie ac reverenter ad osculum pedum admittebantur, facta commoda facultate infirmis, qui in lectis turmatim portabantur, pedes Sancti osculandi. Hoc pariter modo multae Indiae dioeceses peregrinationes ordinaverunt, inter quas digna mentione honorandae sunt Damaensis, Meliaporensis, Bombayensis, Mangalorensis, Madraspatana, Pondicheriensis, Kumbakonnamensis, Calcuttensis, Verapolitana, Ajmerensis etc. etc.

Quae vero peregrinationes disponere non potuerunt, aliquot saltem, qui illarum personam gererent, ad pedes Sancti miserunt, et ita ex omnibus dioecesibus Indiae, Birmaniae et Ceylan, imo aliquos saltem Malaccae, Singapurae et e Sinis fideles ad tumulum Patroni Orientis invenire solatio fuit maximo.

Festo Natalis Domini appropinquante, populi turma in dies augere coepit, tum quia sacrae expositionis finis iam appetebat, tum quia plerisque fidelibus hoc unum aptum erat tempus, tandem quia legati ad Congressum Catholicum totius Indiae deputati iam adveniebant.

*
* *

Antequam de expositionis conclusione fiat tractatus, de quibusdam relatu dignis loqui aequum erit. Inter haec princeps locus debetur aliquibus portentosis et insignibus curationibus ad Sancti Francisci tumulum patratis. Historice tantum et speciminis

gratia, ut folia periodica enarrarunt et publicae fuit famae, de aliquibus loquar, quae ab ipsis primis diebus expositionis occurrerunt :

Daniel Bethkar, protestans, usu oculorum abhinc 19 annos carens, post deosculatos S. Francisci pedes, statim oculorum usum recuperavit.

Anastasius de Sousa, ex viae ferreae curru decidens, crura fregerat, et sinistro crure resecato, adhuc in dextro femore triplex remanebat fractura ; hinc genua flectendi nulla ipsi copia. Exosculato corpore Sancti, adeo strenuus factus est, ut genua flectere et ita per totam Missam manere potuit.

Portentosum sane quod de familia Zoroastraea testantur : pater filiam habens caecam S. Francisci sepulcrum supplex adivit, votum vovens Ecclesiae Catholicae amplectendae, si filia oculorum usu donaretur. Post honoratas sacras exuvias filia mox videre incipit; pater vero tanto beneficio ingratus addit : " Filia mea modo iam videt, quid nunc Ecclesiam Catholicam ingrediar ? „ Vix haec verba infelix elocutus fuerat, cum filia subito denuo caeca redit et lacrimas fundere incipit ! Deus certe non irridetur !

Regan, olim tribunus militum, maligno tumore in genu laborabat, unde sine baculo deambulare nequibat. Dum ad Sancti pedes preces fundit, extemplo sanatus se sentit, libere deambulare incipit, exinde ei sanitas adeo absoluta ut nedum pristini tumoris ullum signum non manserit, sed bonus homo, qua naturae defectum vincere debebat, arte factam calceamenti calcem, detrahere debuerit, ut libere posset ambulare.

Protestans minister filiolam caecam ad Sancti sepulcrum secum adduxit. Exosculato sacro corpore, puella continuo oculorum usum adipiscitur, moxque ad matrem inclamat : Mater, iam videre possum !

Zoroastraeus homo paralysi laborans veneratis Sancti pedibus libere deambulare incepit.

Post has aliquas curationes minime contemnendum speciale signum huius expositionis. Certe numquam alias memoriae fuit traditum, tot conversiones ad Ecclesiam Catholicam accidisse, quot per illos dies ad pedes Apostoli Indiae peractae sunt. Non defuerunt qui sive sectas protestanticas, sive religionem Mohametis, Zoroastri etc. sincere destestantes, Ecclesiae Catholicae periucundi darent nomen. Utinam hi omnes in fide stabiles et in moribus

clari, plures alios qui ex hoc ovili non sunt, suo exemplo, suisque precibus, deprecatore Apostolo nostro, attrahant!

Omnes favores, beneficia, quae ab Apostolo nostro concessa sunt, recolere, longissimum, seu ut verum fatear, impossibile est opus. Unum tamen addam, quod siluisse nefas foret:

Ut initio innui, D. Patriarcha per triduanas preces ante expositionem populum rogarat, ut Deum O. M. enixe efflagitarent ut contagiosa lues, quae illa tempestate ubique tot homines absumebat, e Goae finibus repelleret. Mirabile dictu! Tot millia millium Goam convenerunt, totque ex dissitis et propinquis locis, ubi pestis bubonica, variolae aliique morbi serpebant, sed ne unus quidem morbi perniciosi casus per hos 35 dies Goae accidit! Providentis protectionis Patroni nostri evidens signum!

***

Beneficio eorum qui solum ianuario ineunte subsecivum tempus habere poterant, expositio, cui die 3 ianuarii finis imponendus fuisset, per amplius 4 dies protracta est. Tandem extremus dies, 7 ianuarii, tristis et moestus advenit. Templum Boni Iesu innumera abundabat congregatione.

D. Patriarcha Missam Pontificalem suetis decore et magnificentia decantavit. Sub ipsius fine RR. DD. Episcopus Macaensis, qui ab ultimis Orientis finibus suo suique cari gregis nomine Sinarum Apostolum honore prosecuturus venerat, moestam et gravem habuit concionem, quae omnes ad lacrimas movit. Benedictione Apostolica adstanti populo data, corpus inclyti Defensoris nostri ad sacrarium elatum est, ibi mansurum quoad, omnibus mundatis et remotis, pristinum suum locum occupet.

***

Si computationes a periodicis foliis editas investigas, populus qui Goam adivit, ultra quinquies centies millia superavit, dum in postrema expositione, anno 1910 vix ducenta millia attigit.

Huius discriminis fuit etiam una ratio, de qua in hac incompta narratione, iam ad finem suum properante, aliquid disseruisse non fastidiat:

Simul ac notitia expositionis omnibus innotuit, fuerunt, qui, nescio qua de causa quove cum fundamento, hanc expositionem

venerandi corporis Apostoli nostri extremam fore, nuntiare non dubitaverint. Quid si, his auditis, fideles ex remotis quibusve regionibus Goam celeri cursu petierunt, ut semel saltem in vita Patroni nostri conspectu fruerentur?

Incepta iam expositione his tetris nuntiis accessit temera omnique fundamento carens notitia circa hodiernam conditionem corporis Apostoli nostri. Triste relatu! Fuerunt etiam aliqua ex catholicis periodicis, quae fere dixerunt praesentem fortunam corporis Sancti nulli miraculo tribuendam esse! His lectis et auditis, quantum piae aures iure sint offensae, nihil est cur multis dicam.

Sed quid veri in hoc inveniatur, inquirere non erit inutile. Optime, meo quidem iudicio, inter omnes de hac re scripsit relator quidam protestantis periodici Bombayensis civitatis, cui nomen: " Times of India „. Enarratis his falsis rumoribus a quibusdam sparsis, ita prosequitur: " Notissimus medicus, in Commissione expositionis a D. Patriarcha cooptatus, quique et in praesenti et in anteactis expositionibus S. Francisci corpus accurate perscrutatus est, publici fecit iuris nullum discrimen sive in qualitate sive in colore in Sancti corpore inveniri. Publicum instrumentum in expositionis fine editum, a D. Patriarcha, Goae Gubernatore et aliis auctoritate pollentibus obsignatum, nos edocet nihil insignis discriminis in corpore a postrema expositione reperiri. „

Ceteroquin, si benignus Deus miraculum suspendere decrevisset (quod ne umquam faciat rogamus et speramus), inspectis naturalibus causis, praecipue vero furia et impetu quibus fideles per expositionem ad pedes Sancti irruunt et ipsos tangunt, ut de ceteris nunc taceam, sacrum corpus Patroni nostri in ictu oculi destruendum esset; at, fatentibus omnibus nemineque contradicente, ipsi pedes Sancti sunt hucusque optime asservati! Haec omnia sint pace omnium scriptorum, quamvis catholicorum, dicta.

Sit nobis haec conclusio: incorruptum et integrum corpus almi Parentis nostri, fortissimique Protectoris nostri in arca quidem nunc inclusum requiescit. At, oh laetitia! cor ipsius pro nobis vigilat; vicissim filii eius Goani, imo tota India, totusque Oriens eius non obliviscuntur, ad ipsum suspirat continuo cor nostrum.

Numquam ex corde meo excidet animi commotio, me prima vice Boni Iesu Professam Domum ingrediente, habita. Domus

vestibulum intrantis continuo oculos offendit magna S. Francisci Xaverii effigies, haec portans verba: *Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Pius Parens, qui suos non obliviscens ex extremo Oriente Goam transferri voluit, ut in civitate, quam plus ceteris adamaverat, securam et perpetuam, ut sperare licet, requiem corpori suo in hoc mundo inveniret, donec in novissimo die, *surgat in gloria.*

IV.

DE DIVISA MANGALORENSI MISSIONE (1879-1923).

Mangalorensem Missionem in India, iam ab anno 1879 a Patribus Provinciae Venetae susceptam, Sancta Sedes, decreto die 12 mensis iunii vertentis anni 1923 lato, haud parum immutavit. Cum enim ea constaret hinc finibus Canarae se ad meridiem protendentibus, inde Malabariae parte, quae ad septemtrionem vergit estque Canarae contermina, hos utrosque tractus seiunxit, ut Malabaricus novam inchoaret dioecesim, ab eius urbe principe Calecutanam appellandam, Canarensis vero, utpote viribus satis instructus, a religiosorum virorum cura liberaretur et, retento pristinae dioeceseos et sedis Mangalorensis nomine, Clero atque Episcopo indigenis tribueretur.

Quae dum Nostri domi veluti suae fieri cernunt, gaudio afficiuntur, quod vident, primi cuiusdam experimenti causa, id accidere quod et Benedictus XV Summus Pontifex in Epistola Apostolica "*Maximum illud*" (30 nov. 1919) se desiderasse affirmavit, et Pater Noster in sua ad Superiores Missionis Sinensis epistola, die 15 augusti 1919 data, ex Nostrorum studio ac diligentia se expectare testatus est. Nunc vero mangalorenses Patres memoria repetentes, quae per annos ferme quadraginta quinque perfecerint, quosque fructus inde retulerint, gratissimi sentiunt sibi ea omnia Deo esse referenda, qui ipsorum laboribus tam aperte voluerit benedicere liberaliterque favere.

Iamvero Societati, anno exeunte 1878 in RR. PP. Carmelitarum locum ad Missionem Mangalorensem administrandam suf-

fectae, duplex proponebatur finis: alter constituendi Collegium externorum, superioribus disciplinis instructum, ne catholici adolescentes amplius cogerentur cum fidei periculo gymnasia hindica aut protestantica frequentare; alter cleri indigenae efformandi, qui solida scientia ac pietate et sufficienti sacerdotum copia par esset regendae antiquorum christianorum multitudini, tota Missione, sed praesertim in Canara vicatim dispersae. Porro S. Aloisii Collegium et Seminarium S. Ioseph, aedificiorum mangalorensium maxima, evidenter ostendunt Nostros utrumque finem esse consecutos.

Sane Collegium, tenuibus exordiis anno 1880 ortum, biennio post, Madraspatanae Universitati adiungebatur, tamquam eius Collegium secundi gradus. Anno deinde 1885 in colle urbis, quem cives Edya vocant, novas amplasque aedes incolere coepit, quas Nostri collecta stipe in Europa et acceptis catholicorum indigenum largitionibus exstruendas curaverant. Denique anno 1887, ad primum gradum evectum est, ita ut eodem numero ac potiora Societatis Collegia in India haberi potuerit.

Quae porro emolumenta divinae gloriae ac fidei nostrae attulit Collegium, ea suavi plane iucunditate animum demulcent. Illi enim debet Missio, si plurimi catholici mangalorenses conspicuum in re publica locum adepti sunt; si clerus non infrequens recensetur, cuius maior pars e Collegii aulis ad Seminarii studia transgressa est; si Societas praestantem quamdam et non exiguam alumnorum manum inter suos iugiter adlegit; si denique catholica religio magni fit ab ethnicis, quorum amplius quingenti nostras praelectiones audiunt. Collegii exemplum praeterea multum contulit ad scholas catholicas, primarias et secundarias, provehendas in urbe et in oppidis, quae numero et laude adeo florescunt, ut ceteras omnes facile superent.

Quo tempore Collegium in spem christianae rei ita accrescebat, Seminarium suppare incedebat gradu. Huic quidem initium fecerant ante Venetorum adventum RR. PP. Carmelitae, sed cum optimos religiosos ea defecissent, quibus illud progrederetur, necessitati non satis provisum erat. Sed ut primum Nostri ad Missionem regendam aggressi sunt, Seminarium quod propter annonam clausum invenerunt, illico instaurare et solidis institutis stabilire decrevere. Sat copiosam ex Italia aliisque Europae populis pecuniam collegerunt, qua non solum plures quam antea singulis annis alumnos admitti licuit, verum etiam commo-

diorem a fundamentis domum excitari in ea urbis regione, quam Ieppù incolae appellant. Hinc factum est, ut qui in Missione anno 1879 sacerdotes saeculares viginti duo tantum, neque omnes indi, essent, nunc amplius octoginta sola India dederit. Verum non solum patriae, sed aliis quoque Seminarium Mangalorense profuit. Cum enim alumni novam, quam diximus, sedem primum ingressi sunt anno 1890, alii iuvenes, sacerdotium appetentes, e compluribus Indiae Dioecesibus et Vicariatibus Apostolicis, quibus Seminarium proprium nondum est, nostro addicti sunt, et sic quotannis effectum est, ita ut hoc anno 1923 seminaristae omnes centum numerentur, quorum quinquaginta ad Missionem Mangalorensem, triginta ad diversas Dioeceses aut Vicariatus Apostolicos, viginti unus ad religiosas Congregationes pertinent.

Quamvis maiorem sociorum et subsidiorum partem Collegium et Seminarium sibi vindicarent, nihilominus Patrum studium ad alia quoque ineunda sese extendit, quemadmodum sunt, ut praecipua attingamus, orphanotrophium, catechumenatus, artium officinae a centum quinquaginta neophytis commode exercitarum, typographeum ita paulatim auctum et perfectum, ut nunc nulli alii in urbe postponatur, et ante omnia Kankanadyensia opera cum nosocomio, colonia lepris laborantium, medicinisque homeopathicis, quarum nomen per universam Indiam divulgatur.

Quae cum omnes ultro concedant, non tamen desunt qui censeant, Nostros parum adlaborasse ipsis ethnicis ad fidei lumen adducendis. Sed ii si meminerint, quibus in adiunctis versantem Missionem Patres invenerint, quantaque sollicitudine, praeter ea quae primum inchoarunt, paroecias quoque veterum christianorum regere initio debuerint tam in urbe quam in oppidis, forte Societati indulgentiores erunt. Quamquam stationes " inter paganos „ non penitus defuerunt et a compluribus iam annis exstant Narolli, Arvae, Badyare atque in colonia S. Mariae Korgarorum, quibus simul sumptis fere quinque millia neophytorum accensentur. Spem vero constantioris uberiorisque ea in re fructus affert magno cum nostro solatio clerus indigena, qui a Patribus missionali spiritu apposite ad fidem propagandam informatus nonnullos sacerdotes iam nunc suppeditat, qui apostolico munere inter contribules suos, idololatriae addictos, feliciter funguntur. Hac via et ratione confidimus, Societatem in dioecesi Mangalorensi obsecundasse et aliquo saltem modo providisse iis

Leonis XIII votis, quibus ille Summus Pontifex dictitabat: "Filii tui, India, administri tibi salutis „.

Nunc Patres Veneti, laeti in Domino quod rationi sui in Indiam adventus alicubi satisfecerint, oram Mangalorensem, Collegio tantum et Seminario sibi servatis, relinquunt et in Malabaricam, quae sui territorii altera pars est, secedunt. Hic novae dioecesis Calecutanae renuntiatus est primus Episcopus ille idem RR. DD. Paulus Perini e Societate nostra, qui ad hoc usque tempus sedem Mangalorensem tenuerat. Qui nobis superest campus, is maximam partem incultus adhuc iacet, et fere a tricies centenis millibus capitum incolitur, quorum vix decem millia sunt catholici. Velit Deus, Societatis precibus motus, laboribus apud Malabaros obeundis benedicere, non secus ac favit nostris conatibus apud Mangalorenses.

Ut quae his commentariis perstrinximus, lucem aliquam ex operum dinumeratione accipiant, subdimus tabulam res quasdam referentem, in Canara et Malabaria ante divisionem peractas.

	Anno 1879		*Anno 1922*
Catholici	51.098		115.435
Clerus indigena	22		84
Moniales	52		190
Catechistae	20		100
Paroeciae	20		60
Templ. min. et sacella	?		38
Scholae	14		111
a) alumni	723		10.348
b) alumnae	414		4.596
Univ. alumn.	1.137	Univ. alumn.	14.944
Baptismata:			
a) puerorum ex cath.	1.488		4.236
b) „ „ ethn.	38		751
c) protestantium et schismaticorum	—		76
d) Adult. ethn.	45		508
Confessiones	33.319		603.295
Communiones	38.711		1.045.562
Matrimonia	367		1.094
Funera	775		2.292

V.

R. P. IOSEPHUS HANSELMAN
ASSISTENS AMERICAE
(† 16 ianuarii 1923).

P. Iosephus Hanselman natus est die 28 octobris 1856 in Williamsburg qui locus postea urbi Brooklyn est adiectus. In templo paroeciali SS. Trinitatis puer sacris salutis fontibus est ablutus. Deus Iosephulo nostro unam ex maioribus gratiis contulit, quam electis suis impertire solet, parentum christianorum dico amorem ac vere christianam educationem. Henricus pater, ex Helvetia oriundus, inter aequales pietate et fidelitate in Dei et Ecclesiae praeceptis servandis eminuit: nunquam, quidquid alii faciebant, tabernam suam mercatoriam diebus festis aperuit. Die 28 maii 1850 in matrimonium duxerat mulierem haud absimilis pietatis ac virtutis, Margaritam Jacobs, ex qua decem filios et quinque filias suscepit, quorum quartus fuit Iosephus. Praeter eum qui nostrae Societati se addixit, quatuor fratres clero saeculari et duae sorores vitae religiosae nomen dederunt. Studiis humanioribus peractis autumno 1877 iuvenis ingressus est in Seminarium maius Montréal. Sed vocatione ad Societatem cognita, iam post annum, die 7 sept. anni 1878 in tirocinium West Park ad flumen Hudson Missionis quae tunc erat Neo Eboracensis transiit. Bonus novitius totus se dedit Societati ex primis tirocinii exordiis; aetate, animi maturitate aliis praecellens, mox nominatus est manuductor. Dum in novitiatu degit, Missio Neo Eboracensis coniuncta est cum Provincia Marylandiae. Post biennium absolutum Fr. Hanselman ad solita apud nos iunioratus quem vocant studia peragenda missus est in domum Frederick. Philosophia in Collegio SS. Cordis Woodstockiensi finita, quatuor annos magistri muneris functus est in Collegio S. Petri in Jersey City et unum annum in Collegio Fordhamensi. Sicuti in tirocinio ita per totum scholasticatus tempus Fr. Hanselman mentis maturitate et fidelitate in regulis observandis eminuit; iterum in theologia aequalibus suis bidellus est praefectus. Mense iunio a. 1892 sacerdotio auctus, post studia theologica proximo anno absoluta, in Collegium Vigorniense S. Crucis (Worcester) est missus, ubi, si exci-

pias unum annum (1897-1898) quem tertiae probationis exercitiis incumbens in Frederick peregit, usque ad mensem februarium anni 1906 permansit. In hoc Collegio primum per quatuor annos munere Praefectus Studiorum et simul disciplinae est functus. Numero alumnorum autem semper crescente, haec officia seiuncta sunt et ex tertia probatione reduci P. Hanselman cura disciplinae denuo commissa est.

Tanta aequitate hoc munus gessit, ut omnium alumnorum animos sibi conciliaret, qui eum nomine praeciso et cognomine honestissimo apposito " iustum Hans „ *(honest Hans)* appellare consueverunt; Nostri admirati sunt constantiam Patris qui per septem annos modestiori et duriori praefecti officio totum se dedit, vires et tempus nihil sibi reservans, semper promptus ad laborem, nihil quietis vel otii sibi postulans. Quotidie (non obstantibus nocturnis vigiliis), h. 5,30 sanctum sacrificium offerebat.

Nil mirum quod " aptissimus ad gubernandum „ propositus, mense augusto anni 1901 Rector Collegii S. Crucis Vigorniensis est constitutus. Superior omnes ad se venientes bene libenterque recepit, nunquam proprium commodum quaerens, sed aliorum utilitati inserviens. Et discipuli et Nostri libenter eum adierunt, quia se magni aestimari a Superiore facile intellexerunt. Omnia diligenter praevidit et, quamquam res bene semel meditatas strenue exsequi solebat, tamen numquam, rationibus melioribus oblatis, consilii capti mutationem negavit.

Externi quoque amici et benefactores P. Hanselman valde dilexerunt, nam ipse quidem ad omne sacrificium promptus, aptus etiam erat ad recte ponderanda beneficia accepta et ad aestimandum quid caritatis atque abnegationis in benefactoribus requirerent.

Experientia diuturna Praefecti adiutus, ita novus Rector studia et disciplinam promovit, ut non solum discipulorum numerus augeretur in annos, sed etiam spiritus semper melior evaderet.

Cum P. Hanselman Collegium Vigorniense regens tam eximium gubernandi donum demonstrasset, R. P. Ludovicus Martín, suffragiis Consultorum expetitis, eum ad Professionem 4 votorum promovit et Praepositum Provinciae constituit. Die 2 febr. anni 1906 Professionem fecit et Provincialis munus iniit.

Quibus dotibus virtutibusque P. Hanselman antea puerorum Nostrorumque in Collegio animos sibi devinxerat, iisdem nunc totius Provinciae fiduciam sibi conciliavit. Domini benedictio non

deerat: Provincia Marylandiae-Neo Eboracensis non solum numero crevit, sed etiam operibus ac spiritu.

Sexennio sic in Provincialis munere absoluto, P. Hanselman Collegio Maximo Woodstockiensi anno 1912 est praefectus, quod non minore diligentia eodemque felici successu usque ad annum 1918 gubernavit. Tunc mortuo in Zizers Assistente Americae R. P. Thoma Gannon, ei ad mentem rationemque iuris nostri suffectus est P. Hanselman. In Helvetiam primum venit et postea cum tota Curia in Urbem migravit. Omnibus ob singularem bonitatem quae quasi toto eius ore elucebat carissimus, novo munere eo sincero erga Societatem amore eaque diligentia fungebatur, quibus omnia officia sibi ad illud usque tempus commissa gesserat.

Nullam epistolam misit quin antea in codice summatim quidem sed satis accurate inscripserit, quid litteris suis consignasset.

Quanta caritate Patres Sociosque suae Assistentiae acceperit, iisque consilio ac adiumento fuerit, omnes laeti experti sunt qui in Urbem venerunt. Sed Nostros non solum, verum etiam amicos et benefactores nostros qui itinere in Urbem instituto eum adierunt in quantum potuit adiuvit, ut vix quisquam non contentus ab eo discederet. Fratrem cuiusdam e Nostris, qui Romam venerat, visitans aegrotantem invenit et familiam linguae italicae ignaram curis praeoccupatam. Non quievit antequam ipse medicum peritum ac fidum non parvo incommodo suo invenit, et rediens ipse interpretis officio functus est. Quam grato animo tantum amicitiae documentum acceperit familia ista, facile intelligitur. Hac sincera caritate P. Hanselman benefactoribus Societatis gratias reddidit et novos amicos ei acquisivit.

Attamen optimi Patris valetudinem occultas primum aegritudinis nefasta vis iamiam subruebat. Aestate anni 1922 insolito oris pallore omnibus manifesto apparuit P. Hanselman non bene se habere. Pater vero non conquestus est nisi de magna corporis lassitudine. Cum ex villa Collegii Americani Septemtrionalis, quo octavo quoque die cum P. Substituto ire solebat ad confessiones alumnorum excipiendas, redibat in Rufinellam, videbatur multum fatigatus excursione, quae alias delectamento ei fuerat. Rure in urbem cum revertissemus, etiam ibi morbi vis non est imminuta, sed potius in dies aucta. Tunc ex medicorum consilio, cum Pater in patriam iter facere nollet, propositum est ut mitius insulae Me-

litensis caelum tentaret. Die 10 octobris abiit et a Sociis Collegii Birchircarensis (Prov. Sic.) omni caritate est exceptus. Sed neque Melitensis insulae aer aegroto profuit. Imo adeo ingravescebat morbus ut in nosocomium sororum transferri debuerit. Ibi quamquam curis diligentissimis gaudens et a Nostris quotidie visitatus, mox nihil magis desideravit quam reditum in Curiam suamque communitatem. Cui desiderio quam primum licuit satisfactum est, et P. Grima, Collegii Melitensis Procurator, optimum Patrem Romam reduxit. Vigilia Nativitatis Domini ad nos venit, omnibus desideratus; sed tanta affectus debilitate ut de eius salute desperandum videretur.

Nil tamen intentatum relictum est ut Pater carissimus a morbo eriperetur: novendiali supplicatione ad Ven. P. Ios. Pignatelli instituta salutem Patri a Divina Bonitate efflagitavimus. Neque quidquam praetermissum est, quod ars medica suggerere posset. Cum medici censerent sanguine ex alterius corpore sano transfuso auxilium fortasse afferri posse aegroto, complures libenter se obtulerunt ad hoc experimentum. Acceptus est a medicis P. Gulielmus Dowd (Prov. Missourianae). Incredibile quam repente novo vitae liquore infuso aegrotus melior sit factus; sed, eheu, mutatio salubris brevissima fuit. Proprio sanguinis fonte corrupto, adiunctus cruor mox vim suam perdidit et aegrotus in pristinam lassitudinem relapsus est. Medici statuerunt Patrem praeter anaemiam et pulmonum affectionem quae ultimis diebus accesserat, etiam stomachi cancro laborare. Mentis tamen semper plane compos fuit et sic etiam sancta morientium Sacramenta accepit. Mane die 15 ianuarii sensu fere carere coepit; continua sacerdotis praesentia adiutus postridie mane 20 minutis post horam 8 mortuus est. Die 17 hora 7, officio defunctorum ut Societatis mos fert recitato, Pater Noster S. Sacrificium obtulit ad mortui animam adiuvandam. Adfuerunt etiam Superiores ac alumni Collegii Statuum Foederatorum Americae et complures viri religiosi; Em. Card. Bonzano, olim Delegatus Apostolicus in Statibus Foederatis, ad Patrem triduo ante mortem visitandum in Collegium venerat.

Nunc P. Hanselman in Campi Verani sepulcro, Societatis Romanae communi, a laboribus quiescit et cum aliis Nostris laetum resurrectionis diem exspectat. R. I. P.

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

I.

COMPENDIARIA EPHEMERIS CONGREGATIONIS GENERALIS XXVII

(8 SEPT. – 21 DEC. 1923).

Nota. – Quamquam in *Actis Romanis* (vol. IV, " Statuta Congr. G. XXVII ", *Decreta historica*, pp. 3-19) praecipua, quae in Congregatione Generali acta sunt, iam edita inveniuntur, cum tamen ea ad modum Decretorum ibi habeantur, nec omnino secundum ordinem chronologicum disposita, non incongruum videtur brevem quandam Congregationis ephemeridem hoc loco inserere, prout etiam anno 1915 factum est (cfr. *Acta Rom.*, II (1915), pp. 42-44).

---

7 sept. - Adsunt Patres omnes (99) ius habentes ad Congregationem vel legitimi substituti eorum qui impediti iudicati fuerint. — Sunt autem:

A. R. P. N.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS.

Assist. Italiae

2. P. Nalbone Franciscus de P., *Assist.*

PROV. ROMANA

3. P. Filograssi Iosephus, *Prov.*
4. P. Ojetti Benedictus, *Elect.*
5. P. Tacchi Venturi Petrus, *Elect.*

PROVINCIA NEAPOLITANA

6. P. Jollain Iaphet St., *Prov.*
7. P. Stravino Antonius, *Elect.*
8. P. Tummolo Raphael, *Elect.*

PROV. SICULA

9. P. Rubino Liborius, *Prov.*
10. P. Borrello Paschalis, *Elect.*
11. P. Previtera Carmelus, *Elect.*

PROV. TAURINENSIS

12. P. Argano Antonius, *Prov.*,
13. P. Calcagno Franciscus X., *Elect.*
14. P. Boetto Petrus, *Proc. Gen.*, *Elect.*

PROV. VENETA

15. P. Battisti Ioannes B., *Prov.*
16. P. Mattiussi Guido, *Elect.*
17. P. Ambrosini Ioachimus, *Elect.*

Assist. Germaniae

18. P. van Oppenraaij Rudolphus, *Assist.*

Prov. Austriae

19. P. Ersin Aloisius, *Subst. Prov.*
20. P. Biederlack Iosephus, *Elect.*
21. P. Sinthern Petrus, *Subst.*

Prov. Belgica

22. P. Willaert Ferdinandus, *Prov.*
23. P. Thibaut Aemilius, *Elect.*
24. P. De Villers Augustus, *Elect.*
25. P. Maertens Alfredus, *Oecon. Gen.*

Prov. Germaniae Inf.

26. P. Bley Bernardus, *Prov.*
27. P. Kösters Ludovicus, *Elect.*
28. P. Laurentius Iosephus, *Elect.*

Prov. Germaniae Sup.

29. P. Bea Augustinus, *Prov.*
30. P. de Nostitz-Rieneck Rob., *Elect.*
31. P. de Chastonay Paulus, *Elect.*

Prov. Hungariae

32. P. Somogyi Eugenius, *Prov.*
33. P. Speiser Franciscus X., *Elect.*
34. P. Bangha Adalbertus, *Elect.*

Prov. Neerlandica

35. P. Raaijmakers Carolus, *Prov.*
36. P. Beukers Everardus, *Elect.*
37. P. Hoenen Petrus, *Elect.*

Prov. Poloniae

38. P. Sopuch Stanislaus, *Prov.*
39. P. Piatkiewicz Wlodimirus, *Elect.*
40. P. Stopa Antonius, *Elect.*

V. Prov. Cechoslovaca

41. P. Skarek Leopoldus, *Proc.*

V. Prov. Iugoslaviae

42. P. Prešeren Antonius, *Proc.*

Assist. Galliae

43. P. Fine Eduardus, *Assist.*

Prov. Campaniae

44. P. Geny Petrus, *Prov.*
45. P. Bonduelle Aloisius, *Elect.*
46. P. Poullier Ludovicus, *Elect.*

Prov. Franciae

47. P. Devillers Romualdus, *Prov.*
48. P. de Boynes Norbertus, *Elect.*
49. P. Mollat Felix, *Elect.*

Prov. Lugdunensis

50. P. Chauvin Aloisius, *Prov.*
51. P. Bulot Augustus, *Elect.*
52. P. Foujols Antonius, *Elect.*

Prov. Tolosana

53. P. Rouffiac Edmundus, *Prov.*
54. P. Fournier Ioannes M., *Elect.*
55. P. de Guibert Iosephus, *Elect.*

Assist. Hispaniae

56. P. Barrachina Iosephus, *Assist.*

Prov. Aragoniae

57. P. Guim Ioannes, *Prov.*
58. P. Lloberola Raimundus, *Elect.*
59. P. Ferreres Ioannes, *Elect.*

Prov. Argentino-Chilensis

60. P. Llussá Iosephus, *Prov.*
61. P. Añón Ioachimus, *Elect.*
62. P. Gambón Vincentius, *Elect.*

Prov. Castellana

63. P. Vilallonga Gabriel, *Prov.*
64. P. Astráin Antonius, *Elect.*
65. P. Arregui Antonius, *Elect.*

PROV. LEGIONENSIS

66. P. Gutiérrez del Olmo Ferd., *Prov.*
67. P. Carvajal Henricus, *Secr. Soc.*, *Elect.*
68. P. Mostaza Michael, *Elect.*

PROV. LUSITANA

69. P. Mendes Candidus, *Prov.*
70. P. Pinto Antonius, *Elect.*
71. P. Rodrigues Franciscus, *Elect.*

PROV. MEXICANA

72. P. Crivelli Camillus, *Prov.*
73. P. Cuevas Marianus, *Elect.*
74. P. Renaud Marcellus, *Elect.*

PROV. TOLETANA

75. P. Cañete Ioannes, *Prov.*
76. P. Aicardo Ioshephus Emm., *Elect.*
77. P. Valera Iosephus M., *Elect.*

Assist. Angliae

78. P. Walmesley Hermannus, *Assist.*

PROV. ANGLIAE

79. P. Bodkin Gulielmus, *Prov.*
80. P. Blount Carolus, *Elect.*
81. P. Slater Thomas, *Elect.*

PROV. CANADENSIS

82. P. Filion Ioannes M., *Prov.*
83. P. Filiatrault Telesphorus, *Elect.*
84. P. Boncompain Aloisius, *Elect.*

PROV. HIBERNIAE

85. P. Fahy Ioannes, *Prov.*
86. P. Devitt Matthaeus, *Elect.*
87. P. Finlay Petrus, *Elect.*

Assist. Americae

PROV. CALIFORNIAE

88. P. Dillon Franciscus C., *Prov.*
89. P. Giacobbi Dominicus, *Elect.*
90. P. Woods Henricus, *Elect.*

PROV. MARYLANDIAE-N. E.

91. P. Kelly Laurentius, *Prov.*
92. P. Maas Antonius, *Subst.*
93. P. Tierney Ricardus, *Elect.*

PROV. MISSOURIANA

94. P. Mc Menamy Franciscus X., *Prov.*
95. P. O' Connor Michael, *Elect.*
96. P. Noonan Herbertus, *Elect.*

PROV. NEO-AURELIANENSIS

97. P. Mattern Aemilius, *Prov.*
98. P. De Potter Iacobus, *Elect.*
99. P. Power Gulielmus, *Elect.*

POST INCEPTAM CONGREGATIONEM ADMISSI SUNT:

22 sept. — P. Coemans Augustus (Prov. Belg.), *Proc.*

22 sept. — P. Besson Iulius (Prov. Tolos.), *Proc.*

12 nov. — P. Welsby Iosephus, *novus Angliae Assistens.*

8 sept. — Conveniunt Patres in aulam maximam Collegii Germanici-Hungarici praeside P. Norberto de Boynes, Electore Franciae, quem Pater Noster aegrotans sibi substituit. Electio Secretarii eiusque Sociorum (cfr. *Decreta historica* d. 1).

9 sept. — Electio Deputatorum ad secernenda postulata (cfr. d. 2 n.1).

10 sept. — Electio Deputatorum ad detrimenta (cfr. d. 2 n. 2).

21 sept. — Congregationis Praeses atque Secretarius et sex Patres sollemni professione antiquiores ex singulis Assistentiis Summum Pontificem adeunt, benedictionem apostolicam petituri; a quo humanissime excipiuntur (cfr. d. 1 n. 6).

26 sept. — Pater Noster e morbo paullatim convalescens, Neapolim petit valetudinis firmandae causa.

6 oct. — Pater Noster viribus satis refectus Neapoli revertitur.

8 oct. — Pater Noster prima vice Congregationi adest. Admittitur abdicatio a munere, quam aetatis causa postulant PP. Assistentes Galliae et Angliae (cfr. d. 6 n. 2).

9 oct. — Approbante Congregatione, P. Generalis Provinciam Belgicam ad Assistentiam Angliae transcribit (cfr. d. 6 n. 3).

12 oct. — Conceditur Praeposito Generali facultas erigendi opportuno tempore Assistentiam Slavicam (cfr. d. 6 n. 4).

17 oct. — Electio novorum Assistentium Galliae, Angliae, Americae atque novi Admonitoris (cfr. d. 7).

8 nov. — Constituuntur Definitores sex ad examinandas Formulas Congregationum (cfr. d. 11).

2 dec. — Audientia Summi Pontificis Patri Nostro concessa.

17 dec. — Audientia Summi Pontificis universae Congregationi Generali concessa (cfr. in Appendice ad *Statuta Congregationis Generalis XXVII*, pp. 265-268, textus Orationis Patris Nostri ad Summum Pontificem et Allocutionis Summi Pontificis ad Patres Congregatos).

21 dec. — Finis imponitur Congregationi (cfr. d. 19).

II.

CHRONICON CURIAE SOCIETATIS

ANNO 1923.

Ephemerides.

9 ian. — Advenit P. Petrus Basterra (Prov. Cast.), socius Oeconomi Generalis nominatus.

16 ian. — Hora 8,25 mane pie in Domino moritur P. Iosephus Hanselman, Assistens Americae (1).

17 ian. — Hospitio recipitur P. Iulius Roi (Prov. Ven.), Collegii Mediolanensis Rector, brevi in Russiam profecturus.

22. ian. — P. Ioannes Capello (Prov. Lugd.), mense decembri superioris anni e Russia redux, Lugdunum proficiscitur, ubi curam multorum Russorum illic degentium suscipiet.

2 febr. — Tredecim hoc mane in templo Farnesiano ultima vota in manibus Patris Nostri emiserunt.

3 febr. — Vesperi P. Antonius Maas advenit (Prov. Maryl.-Neo Eb.), Commissioni ad ius nostrum recognoscendum cooptatus et interim vices gerens Assistentis Americae.

8 mart. — P. Carolus Gonthier ex diutina et gravi aegritudine paulum refectus in suam Provinciam Lugdunensem se confert, operationem chirurgicam subiturus Lugduni.

17 mart. — Missioni Pontificiae ad famelicos in Russia adiuvandos addictus et stationi in urbe Krasnodar positae praefectus, in Urbem advenit P. Iulius Roi (Prov. Ven.) et, rebus omnibus compositis, Summi Pontificis benedictione confirmatus nostrisque adiutus precibus, die 27 martii, itineri per Constantinopolim in Crimeam et urbem Krasnodar fidenter se committit.

25 mart. — Cum instans Congregatio Generalis praeparanda P. Ministro Curiae tot omnisque generis extraordinarios labores afferat, ut difficile sit hoc munus una cum Substituti officio gerere, P. Petro de Champs de St. Léger in munere Ministri hodie succedit P. Ianuarius Pennacchio (Prov. Rom.).

1 apr. — Dominica Paschatis Pater Generalis in templo S. Ignatii ad sepulcrum S. Aloisii Congregatis B. M. V. ex fere universa Hispa-

---

(1) V. supra pp. 103-106.

nia pia peregrinatione advectis Missam dicit et s. Communionem distribuit; ante meridiem eosdem in Collegii Germanici cavaedio recipit (1).

1 apr. - Advenit P. Iaphet Jollain, Praepositus Prov. Neapolitanae, ad tractandum negotium novae Domus Exercitiorum Neapolitanae.

15 apr. — Magno cum gaudio gratisque erga Summum Pontificem animis recipimus decretum quo edicitur constare de miraculis Ven. Roberto Cardinali Bellarmino deprecatore obtentis (2).

3 maii. — Alterum decretum promulgatur, quo statuitur « tuto » procedi posse ad eiusdem Servi Dei beatificationem (3).

9 maii. - Hospitio accipimus P. Aloisium Gurgo Salice, Socium Praepositi Provinciae Taurinensis.

23 maii. — Advenit P. Iosephus Verdier, Superior Missionis Nankinensis (Prov. Franciae) et usque ad diem 31 maii nobiscum commoratur.

26 maii. — P. Mauritium Veys, Superiorem Missionis Bengalensis, (Prov. Belg.) hospitem habemus usque ad diem 3 iunii.

6 iun. — Cum labores parandae Epitomes Iuris nostri, alterius (4) secretarii opera necessario indigeant, P. Emmericus Raitz de Frentz, (Prov. Germ. Inf.), qui iam anno superiore hac in re laboraverat, ex Universitate Gregoriana in Curiam vocatur.

8 iun. — Die SS. Cordis Iesu sacro ad clivum Ianiculi, in area domus quam vulgo *Cecchina* dicunt, benedicitur et ponitur a RR. DD. Camillo Caccia Dominioni, Praefecto Cubiculi Secreti Pontificis, praesente Patre Nostro cum Patribus Assistentibus, primus lapis novae Curiae domus.

19 iun. Advenit P. Norbertus de Boynes (Prov. Franc.) ut, defunctus munere Visitatoris Americae Assistentiae, ad Patrem Nostrum referret.

20 iun. — A domesticis omnibus fraterne salutatus, P. Iulius Besson (Prov. Tolos.) memoriam agit diei quo ante quinquaginta annos Societatem est ingressus.

21 iun. — Laetis et gratis ergo Deum animis omnes intersumus sollemnissimae ac frequentissimae pompae, qua corpus B. Roberti Card. Bellarmino ex templo SS. Nominis ad S. Ignatii transfertur (5).

22 iun. — P. Iosephus Hoeberechts (Prov. Neerl.), Missionis Iavensis Superior, qui idem anno superiore Missionem Nankinensem visitavit, ad agendum cum Patre Nostro in Curiam venit.

---

(1) V. supra, pp. 62-63.
(2) V. supra, p. 56.
(3) V. supra, p. 57.
(4) Cfr. *Mem. S. I.*, I (1922), pp. 665 (*11 dec.*).
(5) V. supra, pp. 68-71.

23 iun. — Item P. Gulielmus Lockington (Prov. Hib.), Missionis Australiae Superior.

26 iun. — Curiae adnumeratur P. Richardus Cirera (Prov. Arag.), cui Pater Noster partes Societatis in Expositione Missionaria Vaticana gerendas commisit.

28 iun. — Ex Russia advenit P. Edmundus Walsh (Prov. Maryl.-N. E.), dux Pontificiae Missionis in illa regione, quo post paucos dies redit.

2 iul. — Renuntiatur novus Postulator gen. Causarum, P. Aurelianus Fajella (Prov. Neap.), et novus Subsecretarius Societatis, P. Hilarius Azzolini (Prov. Ven.)

3 iul. — Cum, ob Congregationis Generalis initium, Curia medio fere mense augusto in Urbe adesse debeat, in villam discessus anticipatur, ita ut hodie rusticatio incipiatur.

4 iul. — Pater Noster ad recuperandas vires in Prov. Venetae villam montanam Caevum cum Substituto Italiae, P. Cassiani, se confert.

26 iul. — Post brevem eamque acutiorem aegrotationem obiit Fr. Coad. Iosephus Wenzel (Prov. Austr.), socius primus P. Archivistae, in domo prob. Exatensi in Hollandia, sed Curiae nostrae adnumeratus.

Fr. Josephus Wenzel natus est in Bohemiae parte germanica, in pago Graber dioecesis Litomericiensis, die 26 augusti 1861. In Provinciam Austriacam ingressus est die 9 augusti 1883 viginti duos fere annos habens; antea in Collegio Mariascheinensi famulus fuerat. In Novitiatu Tyrnaviensi cum in culina alioque ministerio domestico tum in compingendis libris occupabatur. In Collegium Linciense translatus infirmarium adiuvabat. Frater cum esset industrius et ad varia idoneus, qualem in Curia Societatis desiderabant, Faesulas missus est, ubi ab anno 1890 et infirmarium adiuvabat et Patrum amanuensis erat: praesertim ob magnam erga aegrotantes diligentiam laudabatur. Post aliquot annos cum pro cura Tabularii maioris Frater aliquis idoneus requireretur, electus est Fr. Wenzel et anno 1897 in domum Exatensem missus. Ibi scriptionis forma nitida atque perspicua insignis, catalogos seu indices diligenter paravit; porro in industria libros compingendi egregie versatus, et linguis italica, gallica, anglica eruditus, ad libros apte distinguendos, tractandos, collocandos Patri Bibliothecario idoneum se probabat socium. Praecipuam autem operam praestabat in documentis restaurandis et photographice exprimendis, quoties id fieri oportebat. Praeterea in negotiis et exigentiis domesticis promptam atque circumspectam opem ponebat et consilium, legebat fratribus puncta meditationis, adiuvabat lectores ad mensam, infirmariis, sacristanis ceterisque auxilium requirentibus non abnuebat. Parisios aliquando missus, nostrarum antiquae Societatis domorum descriptiones photographice reddidit, quae collectio 10 voluminibus compacta magnum valorem historicum habet.

Vir erat simplex, non communi modestia ornatus, orationi et laboris amans, paupertatis et religiosae obedientiae exemplar. Erga Superiores et Sacerdotes observantiam colebat insignem, erga omnes caritati studebat, pacem atque concordiam promovebat.

Ante annos fere quindecim Fr. Wenzel coepit cordis quadam affectione molestiore premi. A duobus autem annis diabeticus quidam morbus magis magisque se manifestabat, quem Frater certo vivendi et nutritionis ordine vincere nitebantur. At sanitatem veram non est assecutus. Hoc tandem anno, ob calores etiam mensis iulii, ut videtur, magis solito depressum atque afflictum se sentiens, a die 12 iulii lectum petere coactus est. Medicus statum aegroti periculosiorem esse iudicabat, sanguinem et humores venenosae cuidam affectioni subiectos esse, sanationem difficilem videri. Morbi in dies ingravescentis indicia cum periculum proximum ostenderent, die 20 iulii sacramentum extremae unctionis ei est administratum et per dies proximos sacrum viaticum allatum. Interdum etiam sanguinis per os effusio accidit. Vespere diei vicesimi quinti mors iam imminere videbatur, quae demum postridie ante meridiem Fratrem nostrum exstinxit. R. I. P.

28 iul. — P. Emmericus Raitz de Frentz in Germaniam redit.

3 aug. — Ex Missione Nankinensi feliciter ad nos pervenit P. Eduardus Goulet (Prov. Can.), a Patre Nostro Secretarius Missionum Societatis constitutus.

6 aug. — Incipitur, ante consuetum tempus ab imminentem Congregationem Generalem, octiduum annuum Exercitiorum Spiritualium.

12-28 aug. — Superiores Missionis Peruvianae, P. Valentinus M. Sanchez, Missionis Columbianae, P. Iesus M. Fernández, Missionis Philippinae, P. Ioachimus Vilallonga, his diebus in Urbe commorantur.

17 aug. — Ex rure in Urbem redimus.

22 aug. — Pater Noster, salubri Alpium aere atque solitudinis tranquillitate paulum refectus, Romam rediit.

7 sept. - 21 dec. — Congregatio Generalis XXVII celebratur (1).

10 sept. — A Summo Pontifice missus, RR. DD. Camillus Caccia Dominioni, Cubiculi Secreti Praefectus, visitat Patrem Nostrum morbo non levi ex frigore implicitum, benedictionem apostolicam eidem afferens et Beatissimi Patri nomine dicens ut, labore aliis relicto, viribus recuperandis unice intenderet animum.

12 sept. — Brachium S. Francisci Xav. pia pompa a Patribus Congregationis Generalis et Curiae Fratribusque instituta, in Collegii Germanici templum defertur, ut ibi inter Congregationem Generalem cultui ac pietati Nostrorum prostaret.

20 sept. — P. Assistens Hispaniae et P. Secretarius Em. Card. Antonio Vico, S. Rituum Congregationi Praefecto, quinquagesimum

(1) V. supra, pp. 107-110.

sacerdotii anniversarium diem nomine Patris Nostri gratulantur, offerentes diploma participationis Societatis meritorum, quod gratus laetusque excepit Eminentissimus Princeps.

21 sept. — Ex morbo convalescens hoc mane Pater Generalis primum Missam dixit.

26 sept. — P. Rudolphus van Oppenraaij, Germaniae Assistens, cum omnium laetitia quinquagesimum sui in Societatem ingressus anniversarium agit. — Pater Noster cum P. Stanislao Siemienski et Fratre Infirmario Neapolim proficiscitur, unde die 6 octobris non mediocriter recreatus revertitur.

17 oct. — P. Norbertus de Boynes (Prov. Franc.) et P. Aemilius Mattern (Prov. Neo Aur.), novi Assistentes Galliae et Americae hodie electi, Curiae nostrae adscribuntur.

166. P. Patritius H. Hagarty, nat. Clarksville in Iowa 19 feb. 1869, ing. 10 aug. 1895, Coad. spir. 15 aug. 1913, ob. Pueblo in Colorado 26 apr. 1923; Prov. Missourianae.

167. P. Ludovicus G. Bashnal, nat. Bruchsal (Germania) 23 iul. 1860, ing. 27 iul. 1882, Prof. 4 vot. 15 aug. 1902, ob. Grand Coteau (Louisiana) 27 apr. 1923; Prov. Neo Aurelianensis.

168. P. Franciscus Opdebeeck, nat. Anvers 5 sept. 1871, ing. 24 sept. 1888, Prof. 4 vot. 2 feb. 1906, ob. Ranchi 28 apr. 1923; Prov. Belgicae.

169. P. Henricus Mulder, nat. Maastricht 5 mart. 1854, ing. 26 sept. 1872 Coad. spir. 15 aug. 1887, ob. Moentilan 28 apr. 1923; Prov. Neerlandicae.

170. P. Ioannes B. Froebes, nat. Hesse in Germania 11 mart. 1868, ing. 1 oct. 1886, Prof. 4 vot. 2 feb. 1904, ob. Milwaukee in Wisconsin 29 apr. 1923; Prov. Missourianae.

171. P. Camillus de Rochemonteix, nat. Pradines (Cantal) 17 maii 1834, ing. 14 mart. 1851, Prof. 4 vot. 15 aug. 1869, ob. Versailles 30 apr. 1923; Prov. Franciae.

172. RR. DD. Edmundus Luypen, Episc. tit. Oropensis, nat. Hoofdplaat 3 iun. 1855, ing. 26 sept. 1883, Coad. spir 30 oct. 1894, Vic. apost. Batav. 21 maii 1898 ob. Weltevreden (Iava) 1 maii 1923; Prov. Neerlandicae.

173. P. Carolus Redman, nat. Keighley 19. feb. 1860, ing. 7 sept. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Stonyhurst 1 maii 1923; Prov. Angliae.

174. P. Augustus De la Croix, nat. Hoorebeke Ste Marie (Flandria orient.) 18 mart. 1858, ing. 27 sept. 1883, Coad. spir. 8 dec. 1894, ob. Ranchi 2 maii 1923; Prov. Belgicae.

175. C. Franciscus Di Giorgio, nat. Palermo 16 maii 1858, ing. 4 dec. 1893, Coad. temp. form. 2 feb. 1914, ob. Noto (Siracusa) 2 maii 1923; Siculae.

176. P. Franciscus X. Hilt, nat. Sierck (Moselle) 13 dec. 1846, ing. 27 nov. 1870, Coad. spir. 19 mart. 1882, ob. Sien-hsien (Sina) 3 maii 1923; Prov. Campaniae.

177. P. Mauritius Lamarche, nat. Brest 14 iul. 1867, ing. 28 apr. 1891, Coad. spir. 15 aug. 1902, ob. Tamatave 3 maii 1923; Prov. Tolosanae.

178. P. Carolus Senoutzen, nat. Lille (Nord) 7 maii 1866, ing. 28 Sept. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Angers (Maine-et-Loire) 6 maii 1923; Prov. Campaniae.

179. S. Franciscus Elustondo, nat. Vidania (Guipúzcoa) 10 maii 1892, ing. 2 iul. 1909, ob. Oña (Burgos) 2 maii 1923; Prov. Castellanae.

180. P. Caesar De Angelis, nat. Sonnino (Roma) 20 dec. 1845, ing. 20 maii 1864, Coad. spir. 2 feb. 1876, ob. Rio de Janeiro (Brasilia) 7 maii 1923; Prov. Romanae.

181. P. Matthias Gass, nat. Aachen (Rhenania) 30 iun. 1875, ing. 30 sept. 1895, Coad. spir. 2 feb. 1912, ob. Koblenz 12 maii 1923; Prov. Germaniae Inferioris.

182. C. Iosephus Puetz, nat. Siglar (Rhenania) 18 iul. 1862, ing. 9 oct. 1891, Coad. temp. form. 2 feb. 1902, ob. Florianopolis (Brasilia) 13 maii 1923; Prov. Germaniae Superioris.

183. P. Gustavus Mattelé, nat. Gand 17 apr. 1873, ing. 24 sept. 1893, Coad. spir. 2 feb. 1911, ob. Khunti (Calcutta) 14 maii 1923; Prov. Belgicae.

184. P. Iulius Monget, nat. Montsaugeon (Hte Marne) 7 ian. 1854, ing. 21 oct. 1877, Prof. 4 vot. 2 feb. 1894, ob. Sien-hsien (Sina) 17 maii 1923; Prov. Campaniae.

185. P. Carolus de Lapasture, nat. Nice (Gallia) 25 aug. 1839, ing. 27 oct. 1863, Prof. 4 vot. 2 feb. 1881, ob. Boscombe 19 maii 1923; Prov. Angliae.

186. P. Henricus Willems, nat. Beers (Neerlandia) 2 iun. 1845, ing. 16 sept. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1885, ob. Courtrai 19 maii 1923; Prov. Belgicae.

187. P. Augustinus Widmer, nat. Mühlrüti (Helvetia) 2 nov. 1865, ing. 12 apr. 1888, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Mariaschein 19 maii 1923; Prov. Austriae.

188. P. Ioannes B. Plante, nat. Southbridge (Mass. U. S. A.) 17 mart. 1875, ing. 1 feb. 1893, Coad. spir. 2 feb. 1917, ob. Washington 19 maii 1923; Prov. Canadensis.

189. P. Antonius Weber, nat. Krauchenwies (Hohenzollern) 30 maii 1855. ing. 30 sept. 1871, Coad. spir. 2 feb. 1890, ob. Santa Cruz 20 maii 1923; Prov. Germaniae Superioris.

190. P. Michael Iskendérian, nat. Tokat (Asia Minor) 5 mart. 1890, ing. 4 oct. 1910, Schol. approb., ob. Le Caire (Aegyptus) 20 maii 1923; Prov. Lugdunensis.

191. P. Gregorius Garzón, nat. Villalcampo (Zamora) 24 apr. 1845, ing. 4 iul. 1861, Coad. spir. 15 aug. 1876, ob. Carrión (Palencia) 21 maii 1923; Prov. Legionensis.

192. P. Gustavus Oosterbaan, nat. Amsterdam 20 mart. 1855, ing. 26 sept. 1883, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Amsterdam 22 maii 1923; Prov. Neerlandicae.

193. S. Thomas Icoben, nat. Mambójao (Misamis, Filipinas) 29 dec. 1899, ing. 14 aug. 1916, Schol. approb., ob. Sarriá (Barcelona) 24 maii 1923; Prov. Aragoniae.

194. P. Leodgarius Muesser, nat. Guebwiller (Ht Rhin) 14 ian. 1879, ing. 20 sept. 1899, Coad. spir. 2 feb. 1914, ob. Tchoungking (Sina) 27 maii 1923; Prov. Campaniae.

195. P. Petrus van Hooff, nat. Oirschot 26 maii 1846, ing. 26 sept. 1863, Prof. 4 vot. 2 feb. 1881, ob. 's Gravenhage 29 maii 1923; Prov. Neerlandicae.

196. P. Gustavus Van Loo, nat. Gand 4 aug. 1846, ing. 12 sept. 1865; Coad. spir. 2 feb. 1882, ob. Gand 1 iun. 1923; Prov. Belgicae.

197. P. Carolus Kreuzer, nat. Weissenhorn (Augsburg) 10 apr. 1846, ing. 23 apr. 1865, Coad. spir. 15 aug. 1880, ob. Bombay 2 iun. 1923; Prov. Germaniae Superioris.

198. P. Dominicus Lazzarini, nat. Reggio Calabria 17 sept. 1846, ing. 18 mart. 1869, Coad. spir. 2 feb. 1880, ob. Ferentino (Roma) 3 iun. 1923; Prov. Romanae.

199. C. Ioannes I. Silanes, nat. Piedramillera (Navarra) 23 iun. 1862, ing. 7 dec. 1886, Coad. temp. form. 2 feb. 1892, ob. Rio de Janeiro (Brasilia) 6 iun. 1923; Prov. Aragoniae.

200. P. Anselmus Ferretti, nat. Favale (Chiavari) 25 mart. 1863, ing. 22 oct. 1882, Coad. spir. 26 aug. 1900, ob. Cuneo 8 iun. 1923; Prov. Taurinensis.

251. P. Iosephus H. Richards, nat. Columbus (Ohio) 8 nov. 1851, ing. 7 aug. 1872, Prof. 4 vot. 14 aug. 1889, ob. Worcester (Massachusetts) 9 iun. 1923; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

202. P. Eugenius Limpens, nat. Alost 4 iul. 1844, ing. 26 sept. 1862, Coad. spir. 2 feb. 1880, ob. Arlon 9 iun. 1923; Prov. Belgicae.

203. C. Augustus Ziemmer, nat. Montiers-sur-Saulx (Meuse) 11 apr. 1854, ing. 11 sept. 1869, Coad. temp. form. 26 iun. 1880, ob. Fianarantsoa (Madagascar) 9 iun. 1923; Prov. Tolosanae.

204. P. Petrus Van der Linden, nat. Kemseke (Flandria orient.) 5 iun 1858, ing. 8 dec. 1878, Coad. spir. 3 feb. 1896, ob. Dighia (Calcutta) 10 iun. 1923; Prov. Belgicae.

205. C. Patritius Harrick, nat. Cargeol (Hibernia) 1 feb. 1839, ing. 15 feb. 1867, Coad. temp. form. 15 aug. 1878, ob. San Francisco (California) 10 iun 1923; Prov. Californiae.

206. P. Casimirus Mielicki, nat. Odolanów (Polonia Maior) 1 mart. 1851, ing. 10 nov. 1871, Prof. 4 vot. 15 aug. 1889, ob. Dziedzice 11 iun. 1923; Prov. Poloniae.

207. P. Iosephus Mauri, nat. Milano 14 nov. 1849, ing. 3 sept. 1872, Prof. 4 vot. 2 feb. 1886, ob. Milano 11 iun. 1923; Prov. Venetae.

208. P. Eduardus O' Neill, nat. Meerut (Calcutta) 22 sept. 1864, ing. 29 apr. 1890, Prof. 4 vot. 15 aug. 1905, ob. Calcutta 11 iun. 1923; Prov. Belgicae.

209. P. Vincentius Prósper, nat. Valencia 2 apr. 1863, ing. 1 dec. 1884, Coad. spir. 2 feb. 1900, ob. Gandía (Valencia) 11 iun. 1923; Prov. Aragoniae.

210. P. Paulus Arthuis, nat. Ancenis (Loire-Inférieure) 31 dec. 1860, ing. 23 iun. 1880, Coad. spir. 11 feb. 1898, ob. Poitiers (Vienne) 14 iun. 1923; Prov. Franciae.

211. P. Ioannes Deprins, nat. Heffen (Anvers) 11 maii 1842, ing. 9 oct. 1867, Prof. 4 vot. 15 aug. 1885, ob. Ranchi 16 iun. 1923; Prov. Belgicae.

212. P. Melchior Delgado, nat. Iruelos (Salamanca) 3 oct. 1853, ing. 30 iul. 1867, Prof. 4 vot. 2 feb. 1887, ob. Valladolid 16 iun. 1923; Prov. Legionensis.

213. P. Ioannes P. Bettini, nat. Teglio (Sondrio) 19 nov. 1853, ing. 9 oct. 1876, Prof. 4 vot. 2 feb. 1893, ob. Bergamo 17 iun. 1923; Prov. Venetae.

214. P. Aloisius Grech, nat. Cospicua (Malta) 27 aug. 1864. ing. 24 apr. 1880, Prof. 4 vot. 2 feb. 1900, ob. Birchircara (Malta) 17 iun. 1923; Prov. Siculae.

215. P. Stephanus Varga, nat. Andrásfalva (Bukovina) 5 apr. 1874, ing. 16 apr. 1890, Coad. spir. 2 feb. 1909, ob. Budapest 20 iun. 1923; Prov. Hungariae.

210. P. Iosephus R. Carrión, nat. Quito (Ecuador) 13 nov. 1862, ing. 31 maii 1893, Coad. spir. 15 aug. 1905, ob. San Luis Potosí 20 iun. 1923: Prov. Mexicanae.

217. S. Iosephus Soares, nat. Teixoso (Beira Baixa) 5 iun. 1896, ing. 20 sept. 1916, Schol. approb., ob. Teixoso (Beira Baixa) 21 iun. 1923; Prov. Lusitanae.

218. P. Alphonsus Bockaert, nat. Eecloo 9 iul. 1873, ing. 24 sept. 1892, Coad. spir. 2 feb. 1911, ob. Noatolli (Calcutta) 22 iun. 1923; Prov. Belgicae.

219. P. Ioannes Benson, nat. Wigan 12 apr. 1853, ing. 30 iul. 1882, Prof. 4 vot. 2 feb. 1898, ob. Stonyhurst 23 iun. 1923; Prov. Angliae.

226. C. Ignatius Boron, nat. Starawieś (Polonia minor) 15 apr. 1846, ing. 8 iul. 1866, Coad. temp. form. 2 feb. 1878, ob. Kraków 23 iun. 1923; Prov. Poloniae.

221. P. Antonius Vidal, nat. Igualada (Barcelona) 23 ian. 1864, ing. 30 aug. 1879, Prof. 4 vot. 20 feb. 1898, ob. Buenos Aires 24 iun. 1923; Prov. Argentino-Chilensis.

222. P. Gaspar Benito, nat. Valladolid 13 ian. 1844, ing. 11 mart. 1868, Coad. spir. 15 aug. 1870, ob. Valladolid 26 iun. 1923; Prov. Legionensis.

223. P. Ioannes Kervennic, nat. Lambézélec (Finistère) 22 feb. 1835, ing. 26 sept. 1858, Coad. spir. 2 feb. 1875, ob. Paris 28 iun. 1923; Prov. Franciae.

224. C. Christianus Schnoebelen, nat. Benwiller (Bas-Rhin) 21 dec. 1845, ing. 19 ian. 1867, Coad. temp. form. 2 feb. 1880, ob. Florennes (Belgium) 28 iun. 1923; Prov. Campaniae.

225. P. Franciscus Costa, nat. Rupiá (Gerona Hispania) 28 oct. 1855, ing. 24 iul. 1878, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. Mendoza 29 iun. 1923; Prov. Argentino-Chilensis.

226. C. Stanislaus Tomkiewicz, nat. Starawieś (Polonia minor) 1 nov. 1862, ing. 28 mart. 1885, Coad. temp. form. 15 aug. 1896, ob. Nowy Sacz 1 iul. 1923; Prov. Poloniae.

227. P. Petrus Carcavilla, nat. Ayerbe (Huesca, Hispania) 28 apr. 1859, ing. 23 iun. 1880, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Santiago de Chile 3 iul. 1923; Prov. Argentino-Chilensis.

228. P. Victor Voinier, nat. Courbesseaux (Meurthe-et-Moselle) 1 aug. 1851, ing. 7 sept. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1898, ob. Lille (Nord) 3 iul. 1923; Prov. Campaniae.

229. C. Iosephus Asurabarrena, nat. Beazáin (Guipúzcoa, Hispania) 7 aug. 1861, ing. 25 mart. 1904, Coad. temp. form. 2 feb. 1915, ob. Mendoza 4 iul. 1923; Prov. Argentino-Chilensis.

230. S. Ioannes N. Hofmann, nat. S. Magdalena in Gries (Tirol) 9 maii 1894, ing. 5 oct. 1914, Schol. approb., ob. Innsbruck 5 iul. 1923; Prov. Austriae.

231. P. Eduardus Tercelin, nat. Mons 22 maii 1851, ing. 27 sept. 1870, Coad. spir. 2 feb. 1888, ob. Liège 11 iul. 1923; Prov. Belgicae.

232. P. Ignatius Schmid, nat. Sulzberg (Vorarlberg) 3 apr. 1859, ing. 29 sept. 1880, Coad. spir. 3 feb. 1896, ob. Aarhus (Dania) 11 iul. 1923; Prov. Germaniae Inferioris.

233. P. Martinus, Hagen nat. Bregenz (Austria) 23 maii 1855, ing. 30 sept. 1872, Prof. 4 vot. 2 feb. 1891, ob. Valkenburg 12 iul. 1923; Prov. Germaniae Superioris.

234. P. Guilelmus Windhausen, nat. Amern St. Georg (Rhenania) 10 maii 1872, ing. 8 apr. 1891, Prof. 4 vot. 15 aug. 1908, ob. Exaten 13 iul. 1923; Prov. Germaniae Inferioris.

235. P. Aloisius Baylina, nat. Hostalrich (Gerona) 12 ian. 1864, ing. 25 sept. 1880, Coad. spir. 2 febr. 1900, ob. Sarriá (Barcelona) 13 iul. 1923; Prov. Aragoniae.

236. P. Ioannes I. Ford, nat. Santa Clara (California) 10 maii 1865, ing. 23 iun. 1881, Prof. 4 vot. 15 aug. 1903, ob. Spokane (Washington) 15 iul. 1923; Prov. Californiae.

238. P. Albertus Moussier, nat. Issaudun (Indre) 11 sept. 1849, ing. 13 oct. 1873, Prof. 4 vot. 2 feb. 1889, ob. Paris 20 iul. 1923; Prov. Franciae.

238. P. Georgius Zwack, nat. Teunz (Oberpfalz) 1 apr. 1861, ing. 24 sept. 1884, Prof. 4 vot. 19 iun. 1903, ob. Roma 23 iul. 1923; Prov. Germaniae Superioris.

239. P. Franciscus X. de Benoist, nat. Verdun (Meuse) 9 nov. 1862, ing. 11 nov. 1883, Coad. spir. 2 feb. 1901, ob. Bourg-en-Bresse (Ain) 24 iul. 1923; Prov. Campaniae.

240. P. Attilius Gennari, nat. Pesaro 26 oct. 1865, ing. 9 iul. 1894, Prof. 4 vot. 2 feb. 1912, ob. Frascati (Roma) 26 iul. 1923; Prov. Romanae.

241. C. Iosephus Wenzel, nat. Grabersdörfel (Bohemia) 26 aug. 1861, ing. 9 aug. 1883, Coad. temp. form. 2 feb. 1891, ob. Exaten 26 iul. 1923; Prov. Austriae.

242. P. Antonius de Azevedo, nat. Arcos de Val-de-Vez (Minho) 13 iun. 1861, ing. 25 aug. 1883, Prof. 4 vot. 2 feb. 1896, ob. Bahia (Brasilia) 27 iul. 1923; Prov. Lusitanae.

243. P. Iosephus H. Smith, nat. New York 16 mart. 1865, ing. 14 aug. 1882, Coad. spir. 2 feb. 1901, ob. Monroe (New York) 28 iul. 1923; Prov. Marylandiae-Neo-Eboracensis.

244. C. Ioannes Rodríguez, nat. 18 oct. 1842, ing. 31 iul. 1861, Coad. temp. form. 2 feb. 1873, ob. La Guardia (Pontevedra) 28 iul. 1923; Prov. Legionensis.

245. C. Antonius Abdallah, nat. Damas (Syria) 15 mart. 1853, ing. 3 oct. 1871, Coad. temp. form. 15 aug. 1883, ob. Tanail (Syria) 30 iul. 1923; Prov. Lugdunensis.

246. P. Paulus Pontier, nat. Aix-en-Provence 15 mart. 1835, ing. 12 apr.

1856, Coad. spir. 15 aug. 1875, ob. Marseille 1 aug. 1923; Prov. Lugdunensis.

247. P. Dominicus da Cunha, nat. Lisboa 19 nov. 1851, ing. 13 sept. 1870, Coad. spir. 2 feb. 1887, ob. Bahia (Brasilia) 5 aug. 1923; Prov. Lusitanae.

248. C. Theodorus Voss, nat. Susteren (Neerlandia) 7 feb. 1851, ing. 28 sept. 1878, Coad. temp. form. 2 feb. 1889, ob. Calcutta 5 aug. 1923; Prov. Belgicae.

259. C. Iosephus Haegele, nat. Göggingen (Württemberg) 4 oct. 1854, ing. 30 sept. 1887, Coad. temp. form. 2 feb. 1898, ob. Tisis 5 aug. 1923; Prov. Germaniae Superioris.

250. C. Baldomerus Sanchez, nat. Vitoria 27 feb. 1884, ing. 30 oct. 1904, Coad. temp. form. 2 feb. 1916, ob. Bordeaux 6 aug. 1923; Prov. Tolosanae.

251. C. Iosephus Vinc. Saura, nat. San Mateo (Castellón de la Plana) 6 iun. 1881, ing. 9 feb. 1907, ob. Barcelona 6 aug. 1923; Prov. Aragoniae.

252. C. Iosephus Manek, nat. Karlovac (Croatia) 16 mart. 1829, ing. 12 aug. 1854, Coad. temp. form. 15 aug. 1864, ob. Kalksburg 7 aug. 1923; Prov. Austriae.

253. P. Aloisius Bianchi, nat. Pofi (Roma) 27 sept. 1850, ing. 21 iun. 1868, Prof. 4 vot. 2 feb. 1886, ob. Roma 9 aug. 1923; Prov. Romanae.

254. P. Augustinus Allard, nat. Nantes (Loire-Inférieure) 28 iul. 1838, ing. 23 ian. 1869, Coad. spir. 15 aug. 1879, ob. Paris 11 aug. 1923; Prov. Franciae.

255. P. Ricardus Golding, nat. Shrule 13 maii 1867, ing. 7 dec. 1886, Coad. spir. 15 aug. 1906, ob. Dublin, 13 aug. 1923; Prov. Hiberniae.

256. P. Iosephus Gándara, nat. Alján (Pontevedra) 24 feb. 1897, ing. 27 apr. 1923, Schol. approb., ob. Carrión (Palencia) 14 aug. 1923; Prov. Legionensis.

257. C. Iosephus Wilkowski, nat. Strusby (Polonia) 1 iun. 1872, ing. 30 sept. 1900, Coad. temp. form. 2 feb. 1911, ob. Poona 15 aug. 1923; Prov. Germaniae Superioris.

258. P. Raphael Corsetti, nat. Velletri (Roma) 11 feb. 1851, ing. 8 sept. 1869, Prof. 4 vot. 2 feb. 1885, ob. Frascati (Roma) 18 aug. 1923; Prov. Romanae.

259. C. Gerardus Ruyter, nat. Rees (Rhenania) 27 maii 1852, ing. 29 sept. 1877, Coad. temp. form. 2 feb. 1888. ob. 's Heerenberg 24 aug. 1923; Prov. Germaniae Inferioris.

260. S. Theodorus Cia, nat. Aoiz (Navarra) 5 maii 1899, ing. 30 iun. 1916, Schol. approb., ob. Bucaramanga (Colombia) 25 aug. 1923; Prov. Castellanae.

261. C. Antonius Mesquida, nat. Palma de Mallorca 13 dec. 1841, ing. 28 iun. 1868, Coad. temp. form. 15 aug. 1878, ob. Manresa (Barcelona) 25 aug. 1923; Prov. Aragoniae.

262. P. Marianus Arpudanader, nat. Tanjore (India) 10 iun. 1867, ing. 29 dec. 1884, Coad. spir. 15 aug. 1903, ob. Madura 26 aug. 1923; Prov Tolosanae.

263. S. Iacobus Stark, nat. Aarhus (Dania) 5 sept. 1900, ing. 29 iul. 1919, Schol. approb., ob. Valkenburg 28 aug. 1923; Prov. Germaniae Inferioris.

264. C. Ieremias Flaherty, nat. Ballyhea (County Cork, Hibernia) 25 aug. 1842, ing. 15 iun. 1871, Coad. temp. form. 15 aug. 1882, ob. Poughkeepsie (New York) 29 aug. 1923; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

265. P. Iosephus Amstad, nat. Stans (Helvetia) 14 aug. 1852, ing. 2 oct. 1872, Coad. spir. 3 feb. 1890, ob. Zug.-Oberwil (Helvetia) 31 aug. 1923; Prov. Germaniae Superioris.

266. P. Iosephus Steiger, nat. Watwiller (Ht. Rhin) 19 apr. 1855, ing. 5 nov. 1888, Prof. 4 vot. 2 feb. 1899, ob. Ribeauvillé (Ht Rhin) 1 sept. 1903; Prov. Campaniae.

267. P. Ludovicus Royet, nat. Monistrol-sur-Loire (Hte Loire) 24 nov. 1855, ing. 30 apr. 1876, Coad. spir. 19 mart. 1891, ob. Fianarantsoa (Madagascar) 1 sept. 1923; Prov. Tolosanae.

268. P. Alphonsus I. Donlon, nat. Albany (New York) 30 oct. 1867, ing. 11 oct. 1889, Prof. 4 vot. 2 feb. 1907, ob. Tarrytown (New York) 3 sept. 1923; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

269. P. Laurentius Aerts, nat. Anvers 15 apr. 1857, ing. 27 sept. 1876, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Bruxelles (Coll. S. Ioan. Berchm.) 4 sept. 1923; Prov. Belgicae.

270. P. Theophilus Levignani, nat. Valmontone (Roma) 5 mart. 1851, ing. 12 oct. 1872, Prof. 4 vot. 15 aug. 1889, ob. Santos (Brasilia) 5 sept. 1923; Prov. Romanae.

271. C. Iosephus Hould, nat. Saint-Maurice (Québec) 26 dec. 1852, ing. 7 sept. 1872, Coad. temp. form. 2 feb. 1883, ob. Sault-au-Récollet 6 sept. 1903; Prov. Canadensis.

272. P. Franciscus Gubitosi, nat. Giffoni Vallepiana (Salerno, Italia) 29 sept. 1832, ing. 21 iul. 1856, Coad. spir. 15 aug. 1870, ob. Denver (Colorado) 7 sept. 1923; Prov. Missourianae.

273. P. Ambrosius Fontan, nat. Tuzaguet (Gallia), 23 ian. 1856, ing. 18 feb. 1874, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Spring Hill (Alabama) 8 sept. 1923; Prov. Neo Aurelianensis.

274. P. Iosephus Brennan, nat. Piersfield (Co. Westmeath), 24 iun. 1843, ing. 16 mart. 1880, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. North Sydney (Australia) 10 sept. 1923; Prov. Hiberniae.

275. RR. DD. Iosephus Van Reeth, nat. Anvers 6 aug. 1843, ing. 25 sept. 1860, Prof. 4 vot. 2 feb. 1878, el. Episc. Gallen. 11 ian. 1895, ob. Galle 11 sept. 1923; Prov. Belgicae.

271. P. Emmanuel Parga, nat. Gaibor-(Lugo) 1 ian. 1889, ing. 7 sept. 1920, Schol. approb., ob. Comillas (Santander) 11 sept. 1923; Prov. Legionensis.

277. C. Michael Bereciartúa, nat. Azpeitia (Guipúzcoa) 30 apr. 1871, ing. 30 iul. 1889, Coad. temp. form. 2 feb. 1901, ob. Oña (Burgos) 12 sept. 1923; Prov. Castellanae.

278. P. Romanus Gratien, nat. Bazouges-la-Pérouse(Ille-et-Vilaine) 22 apr. 1867, ing. 7 nov. 1893, Coad. spir. 2 feb. 1905, ob. Dingé (Ille-et-Vilaine) 13 sept. 1923; Prov. Franciae.

279. P. Petrus Lucas, nat. Vaux-en-Couhé (Vienne) 10 mart. 1849, ing. 23 oct. 1876, Prof. 4 vot. 2 feb. 1893, ob. Laval (Mayenne) 16 sept. 1923; Prov. Franciae.

280. P. Ladislaus Velics, nat. Szécsény (Nógrád) 14 oct. 1852, ing. 6 oct. 1869, Coad. spir. 2 feb. 1887, ob. Kalksburg (Austria) 17 sept. 1923; Prov. Hungariae.

281. P. Raimundus Font, nat. Vich (Barcelona, Hispania) 29 nov. 1861, ing. 25 feb. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1898, ob. Valparaíso 19 sept. 1923; Prov. Argentino-Chilensis.

282. S. Gennarelli Raphael, nat. Riccia (Campobasso) 5 aug. 1896, ing. 19 iun. 1911, Schol. approb., ob. Sevenhills (Australia) 21 sept. 1923; Prov. Neapolitanae.

283. C. Ioachimus Cid, nat. Tortosa (Tarragona) 10 dec. 1838, ing. 11 apr. 1865, Coad. temp. form. 8 sept. 1875, ob. Valencia 22 sept. 1923; Prov. Aragoniae.

184. P. Andreas Burnol, nat. Vichy (Allier) 17 oct. 1846, ing. 13 ian. 1866, Coad. spir. 15 aug. 1882, ob. Le Caire 23 sept. 1923; Prov. Lugdunensis.

285. C. Cyrus Leduc, nat. Acheux (Somme) 6 feb. 1836, ing. 18 oct. 1864, Coad. temp. form. 15 aug. 1875, ob. Florennes (Belgium) 23 sept. 1923; Prov. Campaniae.

286. P. Hieronymus Seisdedos, nat. Barcial de la Loma (Valladolid) 20 feb. 1847, ing. 12 nov. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1897, ob. Carrión (Palencia) 28 sept. 1923; Prov. Legionensis.

PP. 198 Schol. 22 Coad. 66

Universi 286.

In catalogo defunctorum anni 1921 (*Mem. S. I.*, p. 623, n. 165) *irrepsit error ita corrigendus;* C. Henricus Toussaint, nat. 1 iul. 1871 (non 9 apr. 1873), ing. 1 iul. 1895 (non 2 feb. 1895).

INDEX ALPHABETICUS DEFUNCTORUM

A DIE 1 OCT. 1922 AD DIEM 30 SEPT. 1923.

Nota. – Referuntur numeri marginales.

MEMORABILIA
ANNI 1924

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

I.

Oct. 1923 - mart. 1924.

Reverendi Patres Fratresque in Xto. Carissimi,

P. Xti.

Congregationis Generalis XXVII laboribus omnes per hoc tempus intenti, neque multa narranda accepimus neque satis commodum tempus ea, pro iucundissimo meo munere, scribendi invenimus. Paucis igitur nunc perstringam nonnulla quae ex mense octobri acciderunt.

1. – Non dubito, quin gratum vobis sit aliquos peractae Congregationis nuntios audire, etsi paucos omnino mittere queam, cum solum proxima decretorum et Epitomes lectio, quae nunc typis mandantur, vos de rebus in ea actis edocere cumulate possit. Aliqua tamen dicenda videntur. Itaque ut a congregatorum Patrum numero initium ducam, iis qui a Provinciis cum suo Praeposito missi sunt, addendi fuerunt novus Assistens Angliae, R. P. Iosephus Welsby, duo Procuratores Viceprovinciarum Iugoslaviae et Cechoslovachiae, Oeconomus Generalis, ac PP. Augustus Coemans et Iulius Besson a Congregatione accersiti propter diuturnum in Instituto recognoscendo laborem. Ita accidit, ut Congregatio XXVII omnes ante actas multitudine superaverit, cum XV, quae ceteris frequentior ad hoc usque tempus exstiterat, non nisi nonaginta duos Sodales complexa sit, haec autem ultima duos supra centum. Quamquam casu accidit ut nunquam omnes simul cogerentur; nam P. Antonius Pinto, Elector Lusitanae Provinciae, in Missionem Brasiliae Septemtrionalis redire, ob gravia negotia coactus est, antequam P. Welsby, qui ut Instructor Patrum tertiae probationis menstruis Exercitiis tradendis tunc vacabat, Romam venire potuisset.

Ex his omnibus, triginta sex Congregationi XXVI adfuerant, octo Congregationibus XXV et XXVI, tres Congregationi XXV dumtaxat ingressi erant; Visitatoris partes nuper obierant decem, et praeter triginta Provinciales alii viginti quatuor alias eodem munere defuncti erant; adde sex Instructores Patrum tertiae probationis, novem e notissimis iuris ecclesiastici peritis, itemque ex historicis, praesertim rerum nostrarum, quinque, omnes denique socios Commissionis romanae cui paranda iuris nostri recognitio commissa fuerat.

Numero Patrum diuturnitas respondit Congregationis, ab VIII solummodo superata; dies enim emensa est centum et quinque, quibus nonaginta tres consessus habuit, eosque, Dei beneficio, liberos ab alio gravissimo sane onere, sed quod plerisque Congregationibus magnam temporis partem insumebat, Praepositi Generalis eligendi, ut se totam ab initio labori legifero dare potuerit.

Plenariis igitur comitiis solo die dominico vacantibus, quotidie conveniebatur mane ab hora nona ad undecimam fere cum dimidio; vespere autem privatae sessiones habebantur Patrum Commissiones decem constituentium, inter quas rerum omnium tractandarum materia scite distributa fuerat; ut postquam singulae peculiari studio commendatam sibi partem examinassent, de eadem ad generalem coetum referrent.

Atque hoc quidem aliis etiam Congregationibus usitatum fuit; illud vero novum quod Commissionum sententia non statim in communi omnium conventu exponebatur, sed scripto mechanographice multiplicato singulis congregatis Patribus distribuebatur, qui vicissim quidquid privato examine animadvertendum occurrebat eidem Commissioni scripto pariter referebant. Collectae porro et in unum redactae huiusmodi observationes denuo eadem ratione cum omnibus Patribus communicabantur, addito post novum studium novo Commissionis iudicio, quo praecedens emendabatur, vel confirmabatur, vel ex integro retractabatur. Atque tunc demum primo iudicium Commissionum in publicam sessionem verbo tractandum prodibat, vel approbationem obtenturum vel ulteriori studio novisque curis Commissionis semel aut saepius remittendum.

Ex his facile perspicitur, quantum discussionum publicarum brevitati consuli potuerit; at simul etiam quantus labor non solum Fratrum amanuensium, qui scriptis multiplicandis celerrimam operam navabant, sed et Commissionum et singulorum Pa-

trum exstiterit, cum praeter ea quae typis iam mandata erant et praeter singulares de diversis punctis lucubrationes a Patribus privatim propositas, unusquisque ex scriptis Commissionum praedicto modo distributis integrum volumen non minus 700 foliorum legendum accepisset. Sic etiam intelligitur, cur initio generales conventus semel tantum quotidie cogerentur; tempore et Commissionum expedita opera deinde progrediente, coeptae sunt, a die 5 novembris, sessiones a meridie quoque haberi singulis feriis secunda, quarta, sexta, ab hora 5 ad 7.

Ita praemisso etiam sollicito studio cum Commissionum Provincialium, quae bis integrum ius nostrum recognoscendum curaverant, tum Commissionis Romanae, quae prolixo et indefesso labore in tantum opus per plures annos diligentissime incubuerat, fieri potuit ut hoc non nimis longo temporis intervallo integer praecedentium Congregationum decretorum, legum, regularum cumulus ad trutinam revocaretur.

Pium porro erat cernere in ampla comitiorum aula emicare ex edita et collustrata arula calva S. Parentis Ignatii, reliquiarum eius quae circumferuntur maxima, eaque inde videbatur quasi moderatrix disceptationibus praeesse. Huic substabat Christi Domini e cruce pendentis effigies, ante quam supplex S. Franciscus Borgia lumen ad Societatem administrandam implorabat. In templo autem Collegii, quo pro sacello domestico utebamur, nostris obtutibus obiiciebatur, prostans prope altare maius, S. Francisci Xaverii brachium et manus, qua manu, prodigiis tunc cum viveret et nunc etiam clarissima, tam insignia venerationis et amoris erga Patrem Ignatium eiusque Constitutiones testimonia nobis scripta reliquit. Eam venerantes quamdiu Congregatio duravit, preces illas, quas gratiae vocant quotidie post litanias repetebamus. Nec frustra; prodigio enim simile videtur Patrem Nostrum, semper debilem, tunc vero a recenti aegritudine non penitus recreatum, ex quo ineunte octobri Congregationi praesidere coepit, ingentem negotiorum molem, quam et plurimarum quaestionum pertractatio et non interrupta Societatis gubernatio secum ferebant, sine intermissione ad finem usque sustinere potuisse.

Tantis protecta praesidiis Congregatio ad finem properabat, cum Patres omnes duce Praeposito Generali, die 17 decembris in Vaticanum se contulerunt, Summum Pontificem, qui eos ad illam diem exspectabat, veneraturi et benedictionem apostolicam, veluti suorum laborum clausulam, impetraturi. Pontifex Nobili

stipatus Militia, eos in aulam throni, quam dicunt, peramanter excepit. Pater Noster, cum Pontifici obviam venisset et frustra reluctanti sacros pedes esset deosculatus, eum circum adduxit. Patrum coronam, in genua procumbentium, propius inspecturum ut unicuique manum exosculandam porrigeret, singulorum nomen, Provinciam, patriam cognosceret. Complures Pius suavibus etiam verbis brevi allocutus est. Minime vero permisit, ut quisquam pedem ipsi oscularetur, cum iam vidisset P. Generalem paternam prohibitionem praeoccupasse. Dein solium conscendit et, cum sedisset, omnes accessimus, orationesque habitae sunt, vobis iam notae. Ex iis quae Summus Pontifex extemplo dixit, partim praepeti tunc scripto partim fideli adstantium memoriae commissa omnibus clare patuit, quanta sinceri animi delectatione loqueretur, quod ceteroqui satis demonstravit singulari illa ac, paene dixi, perstudiosa benedictione quam cunctis impertivit, singulos appellans ordines et classes Societatis, veteranos pariter ac iuvenes et novitios candidatosque, opera denique nostra omnia ita ut nihil, quod nostrum esset, praeterire voluerit.

Congregationi finis impositus est die 21 decembris; ultimum vero eius decretum in primam feriam sextam mensis decembris, sicut adventus Patrum in primam feriam sextam mensis septembris incidit, quibus feriis pervigilia celebrabantur Deiparae Nascentis et sine labe Conceptae quod felix omen est, integrum Congregationis cursum praesentia praesidioque utriusque Cordis Divinae Matris et Filii fuisse munitum. Per totum vero illud tempus usi sumus urbe tranquillissima, libertate summa, sociorum valetudine prospera. Ut omnes urgebat redeundi in suas Provincias desiderium, longe maxima pars eo ipso die 21 et postridie Roma discesserat; reliqui serius ocius ad postridie Natalis Domini valedixerant Curiae, quae propterea in suam aedium partem recessit.

Restituta Collegio domo, alumni in Urbem ex villa S. Pastoris, quam in agro Romano possident, redierunt, ita ut postridie Kalendas ianuarias rursus Universitatis Gregorianae aulas celebrare potuerint. Hiemis incommoda, quae ruri male arcentur, et studiorum auctam difficultatem boni iuvenes alacri animo pro Societate tolerarunt. Pater autem Generalis in grati animi memoriam simulque in debitam retributionem pro magno beneficio, quo suas nobis aedes gratuito totum hoc tempus reliquerunt, eleemosynis e Provinciis corrogatis, pecuniae summam constituere intendit qua unus alumnus in posterum sustentetur. Atque haec de Congregatione Generali.

2. - Diximus qua paterne ei totique Societati Pius XI benedixerit; carissimis porro Novitiis nostris summo solatio erit scire eundem, in recenti audientia, Patri Generali discessuro et de more benedictionem pro Societate deposcenti, non modo eam libenter concessisse, sed denuo manu elevata et in signum crucis educta adiunxisse: " Et in primis benedico Novitiis „. At non fuerunt benedictiones unica hisce ultimis mensibus pontificiae in nos benevolentiae significatio, cuius illustria testimonia saepe iam in nostris litteris rettulimus.

Universitas Gregoriana proximo mense maio saecularia sollemnia restitutionis celebrare cogitans ad ea paranda consilium virorum illustrium, qui suas quondam scholas frequentaverant, instituendum curavit. Cum vero ii inter alia sibi proposuissent consociationem antiquorum alumnorum constituere, precibus adierunt Em. Card. Caietanum Bisleti, ut munus Praesidis suscipere vellet. Annuit libenter Em. Princeps, Gregorianae Universitatis olim alumnus, qui ante omnia Summum Pontificem convenire festinavit benedictionem et operi incepto et ipsi Praesidi impetraturus. Cui S. Pater, opus quidem, ait, vehementer sibi probari; at Praesidis munus sibimet, antiquo etiam alumno, reservare, suas tamen vices libenter ad Cardinalem se delegare.

Benevolentiae etiam singulari Sancti Patris tribuendum est summum studium quo urget ipse et promovet causas sive canonizationis B. Petri Canisii, quem inter Sanctos proximo anno iubilari omnino adscribendum percupit; sive beatificationis nostrorum Martyrum Canadensium quorum venerationem accelerare desiderat, ne illae etiam regiones propriis destituantur patronis, qui suis popularibus exemplo et tutelae sint. Itaque spes est brevi catalogum caelitum Societatis non parum auctum iri. Congregatio antepraeparatoria, quae dicitur, de miraculis B. Canisii in mensem octobrem indicta est.

3. - Et quoniam de Sanctis nostris agimus, alia quae Societatem triumphantem attingunt, perstringemus. Die 26 februarii Em. Cardinalium Congregationis S. Rituum iudicio subiecta est quaestio de introducenda causa Servi Dei P. Pauli Ginhac (Prov. Tolos.), cuius processus informativus iampridem erat rite perfectus. Cum Patres Purpurati communi laetoque consensu causam esse inchoandam edixissent, Summus Pontifex commissionem introductionis causae postero die signavit et prima dominica

Quadragesimae decretum hac de re a Sacrae Congregationis Secretario editum, quod vobiscum brevi communicabitur, valvis ecclesiarum affixum, publici iuris factum est (1).

Corpus B. Andreae Bobolae in templo catholico Polocensi asservatum ab huius urbis magistratibus bolsevicis Moscoviam abductum fuerat mense iunio anni 1922. Cum plura frustra tentata essent, ut venerandus thesaurus redderetur, S. Sedes optime de Russiae famelicis merita, per P. Walsh postulavit ut sacrum corpus Romam transportandum concederetur. Quod et obtinuit; non tamen sine difficultate eaque condicione ut iter neque per Poloniam fieret neque ullis publici cultus signis honestaretur. Ita P. Ludovicus Gallagher, munere suo in Russia defunctus, sacris reliquiis proprio currui impositis, die 3 octobris superioris anni profectus est Moscovia et per Kioviam transiens die 6 oct. Odessam advenit. Solvit ex hoc portu die 15 Constantinopolim; inde in navi italica Brundusium transmisit; ac demum die festo Omnium Sanctorum in Urbe aderat, secum afferens corpus nostri Beati, quod in aedium Vaticanarum sacellum Mathildae transeatum est et curis traditum RR. DD. Augustini Zampini, Suae Sanctitatis Sacristae, cuius est reliquias S. Palatii custodire.

Paucis hebdomadis post, die statuto, Congregationis S. Rituum officiales, Pater noster aliique viri illustres in idem sacellum convenerunt et, praesentibus P. Ioanne Rostworowski (Prov. Pol.), qui anno 1917 sacras reliquias Polociae quam diligentissime examinaverat ideoque nunc in Urbem arcessitus erat, et P. Edmundo Walsh, qui corpus a gubernio russiaco acceperat, sigilla ab eodem Moscoviae apposita, effracta sunt et sacrum corpus recognitum. Siccatum quidem apparet tempore et vetustate, attamen tam bene conservatum, ut vulnera forti Christi testi insolita crudelitate impacta facile atque certo recognosci possit. Brachium ipsi deest, quod in templo Farnesiano conservatur, allatumque et manui quae cum corpore remanserat admotum ita congruit, ut hac sola ratione omnis timor dubitandi, num revera illud sit corpus nostri Martyris plane exclusus videatur.

Quanti honores B. Roberto Bellarmino ubique terrarum tribuantur, litterae ex tota Societate huc allatae referunt et ipsa acta diurna publica nuntiant. Ante supplicationem triduanam in templo romano S. Ignatii diebus 16, 17, 18 novembris sollemni-

(1) *Acta Rom.*, V (1924), p. 19.

tate ac pietate Romanorum propria habitam sacrum corpus ex arca lignea in urna pretiosissima est collocatum. Ossa capitis includuntur forma argentea, quae vultum summi viri optime imitatur; manus item argento contectae et consertis digitis super pectus iunctae sunt. Ex omni parte figura Beati cera conformata et vestibus cardinaliciis induta per vitrea urnae latera bene conspicitur. Urna, opus arte romana non indignum, facili et tamen gravi elegantia confecta, ita congruit cum totius templi structura atque ornatu ut intuentium oculis animisque omnino satisfaciat.

Ardorem quo populus romanus Beatum nostrum colit eiusque auxilium invocat non minui testatur praeter celebrata sollemnia numerus in dies crescens donorum: quinquaginta et amplius corda argentea in templi pariete prope urnam affixa, accensae candelae plurimae fidelium pietatis et grati animi erga Beatum Robertum sunt documenta. Quae alibi pari pietate neque minore splendore festa peracta sunt, longum est narrare, sed peculiari mentione dignum videtur, quod cum Patres Viennensis Residentiae media in urbe sitae triduum in honorem nostri Beati celebrarent, primus Austriae minister, RR. DD. Ignatius Seipel, ipse contionem habuit auditoribus suis demonstrans, quomodo virtutes B. Roberti imitari possint ac debeant.

Ad honores nostris Sanctis exhibitos pertinet Regem et Reginam Hispaniae, cum mense novembri in Urbem venissent, hanc relinquere noluisse quin, pro sua erga SS. Ignatium et Franciscum Borgia pietate, cubicula visitarent, quae hi Sancti praesentia, laboribus, morte sacraverant. Ad portam et scalas quae ducunt in cubicula, Orator Regis apud S. Sedem, P. Generalis cum multis Patribus eos exspectabant. Pater Noster Regem duxit in cubicula S. Ignatii ibique ei res locaque explicavit. Sat mirati sunt Reges extremam loci exiguitatem ac paupertatem, recogitantes S. Ignatium et unum ex nobilissimis Hispaniae familiis, Gandiae ducem, S. Franciscum Borgia, ibi per annos complures habitasse. Rex, qui simul cum Regina nomen in charta arte depicta subsignavit, nativo ingenii ardore professus est peculiarem suam devotionem erga S. Ignatium qui antea, dixit, dux copiarum hispanarum fuisset. Templum etiam breviter ac pie visitarunt.

Neque praetereundum hic videtur locum illum, qui ob memorandum visum S. Parenti Nostro ante eius in Urbem ingressum concessum omnibus Societatis filiis carissimus et in eius

patrocinio est, La Storta, nunc ad animarum curam melius promovendam templo paroeciali muniri. Qua occasione sacellum etiam, quo memoria illius visionis retinetur, renovabitur et paulo decentius ornabitur.

4. – Ad Missiones veniamus. Ut iam supra innui, PP. Edmundus Walsh et Ludovicus Gallagher ex Russia redierunt. Hic ut tertiam Probationem perageret, ille ut in America subsidia pauperrimis Russiae ecclesiis quaereret. Quantus vero labor Missioni Pontificiae in Russia fuerit anno praeterito vel ex eo solo elucet, quod initio mensis augusti cum opus subsidiorum culmen attingebat, in 1000 locis (culinis publicis, asylis, brephotrophiis etc.) 160.000 hominum quotidie ab ea victu recreati sunt. Ad res distribuendas, custodiendas, verbo, ad omnia bene administranda, praeter 12 viros a Summo Pontifice in Russiam missos, 2500 indigenis opus erat. P. Gallagher inter ipsam Kirghisorum mahometanorum montes Urales incolentium tribum 400 culinas aperuerat. Gratis animis pauperrimi homines Summi Pontificis liberalitate atque beneficiis usi sunt. Adhuc e Nostris in Russia remanent PP. Iulius Roi et Dominicus Piemonte (uterque Prov. Venetae) praeter alios e Missione Pontificia religiosos quattuor. Nam etsi necessitas extrema plus minus superata videatur, tamen nunc quoque magna est plurimorum egestas, cui sublevandae etiam in posterum Summi Pontificis delegati operam navabunt. Qua vero ratione auxilium valde necessarium ferendum sit sive nosocomiis instituendis sive scholis erigendis sive alia quacumque ratione adhuc deliberatur. Interea denuo coeptum est esurientibus cibos, aegrotis medicinas praebere, quacumque via fieri potest et res permittunt, pauperum hominum miseriam levare.

Dum haec in Russia ipsa geruntur, in aliquibus regionibus olim imperio russiaco subiectis novus campus Societatis laboribus Divinae Providentiae consilio, aperitur. Ex aestate anni 1923 duo Patres nostri in Lithuaniae urbe principe Kaunas (Kowno) laborant. Unus, Lithuanus origine, in Seminario clericali docet et praeterea omnibus sacerdotibus, seminaristis et religiosis viris feminisque Exercitia Ignatiana tradit; alter vero studio linguae haud facilis incumbens, nunc iam in confessionibus audiendis instructionibusque habendis illum adiuvat, sed maxime aedificiorum reficiendorum curam in se suscepit. Nam Ordinarius loci, RR. DD. Franciscus Karevicius, Episcopus Samogitiensis, non so-

lum Nostris concessit habitationem in antiquo Societatis Collegio, virtutibus et morte V. P. Lancicii illustri, sed etiam, die 11 februarii, B. M. V. Lapurdensis sacro, et templum S. Stanislai et Collegium restituit sollemni documento, in quo idem RR. Dominus, Societatis amantissimus, inter alia scripsit: " Patrum Societatis Iesu operam magni aestimantes, libentissime animo et opere fovebimus consilium Societatis Iesu, de ecclesia lithuana olim tam bene meritae, nostris in terris ad vitam revocandae „. Templum anno 1759 a Nostris perfectum saeculo ante (1824) a gubernio russiaco schismaticis addictum est, qui illud primum ecclesiam paroecialem et postea cathedralem fecerunt; cum inter bellum multum damnum passum sit, nunc haud parvis expensis restaurari debet. Ligna, lapides, caementum, calx gratis oblata sunt. Agricolae " ad Patrem Iesuitam qui lithuanice loqui incipit „ ut ipsi dicunt, venerunt ultro profitentes se, qui temporibus antiquis templi Societatis tributarii fuissent, eidem debere et velle etiam in posterum tributa solvere. Nisi frigus nivesque labores nimis impediunt, proximis festis Paschalibus templum post tot vicissitudines SS. Cordi Iesu consecrabitur, ut sedes fiat cultus erga idem SS. Cor in republica lithuana. Neque desunt vocationes: complures sacerdotes, clerici, studentes superiorum classium ut in Societatem admitterentur petiverunt et aliqui, iam admissi, ponunt vitae religiosae fundamenta in tirocinio Prov. Germaniae Inferioris, cui a Patre Nostro cura commissa est antiquam Lithuaniae Provinciam paulatim resuscitandi.

In Esthoniam, quae gravissima sacerdotum penuria afflictatur, ut secunda mea epistola rettuli (v. supra, p. 19), unus solummodo ex Nostris adhuc deputari potuit.

Ut porro catholicis in Rumenia degentibus auxilium liberius ferretur, Pater Generalis duas domos quas Societas in praesentia in regno illo possidet, Czernovicensem Residentiam (Cernauti) et Convictum Satmarinensem, hunc Prov. Hungariae, illam Polonicae, decreto die 6 ian. (1) huius anni lato in novam Missionem Rumeniae coniunxit, quae ipsius regni finibus continetur, eique constituit proprium Superiorem, ad tempus tamen iurisdictioni Provincialis Poloniae subiectum. Cum enim referatur laetam vocationum segetem in quibusdam Rumeniae partibus, in Bucovina praesertim et Bessarabia, maturari, spes est minimam adhuc Mis-

(1) *Acta Rom.*, V (1924), p. 92.

sionem ad Dei gloriam et salutem animarum felici progressu mox amplificatum iri.

5. – Extra Europam Missio Gallensis in insula Ceylanensi a Provincia Belgica Neapolitanae gradatim tradetur, ut ex Actis Romanis recenter editis vidistis (1), in eiusdem Prov. Belgicae Bengalensem Missionem Prov. Sicula Socios aliquot mittere incipiet (2); Missio Tcheli Merid. Orient. (Prov. Camp.) Provincias Austriae et Hungariae, iam diu Missiones exteras desiderantes, in suum campum invitavit; Patres vero Canadenses ut antea pergent missionarios suos in Missionem Nankinensem Prov. Franciae mittere, ubi occupabunt regionem Siu-tchou-fou, partem septentrionalem Provinciae Kiangsou.

Hac ratione via sternitur ut suam quaeque Provincia veri nominis Missionem gradatim obtineat: experientia enim diuturna comprobatur per labores eximie apostolicos, quales sunt hi qui inter infideles exercentur, et spiritum Societatis proprium domi summopere roborari et novas selectasque vocationes in populo excitari.

Terraemotus Universitati Tokiensi magnum damnum intulit: scholae aedificium ita est infirmatum, ut, praeter partem quae terrae proxima est, destruendum sit. Etiam nova domus Patrum ob fundamentum non satis solidum, ut videtur, damnum aliquod passa est. Alia minora aedificia non nimis affecta sunt. Domus Patrum reficitur et super partem scholae solo inhaerentem contignatio altera ex ligno erigitur, ita ut 13 aulae scholasticae, cubiculum magistris destinatum et in minore quodam aedificio aliae tres aulae scholasticae praesto sint, quae simul ad discipulos nostros recipiendos in aliquot annos certo satis erunt. Modus quo populus iaponicus in tanta calamitate se gessit Nostris admirationi fuit. Omnes inter se iuvabant et ordine publico mire servato gubernium diligentissime providit, ne necessaria ad vitam deessent. Cum P. Ios. Dahlmann iam egressus esset sexagesimum aetatis annum, quo in Universitatibus iaponicis facultas docendi concluditur, peropportune nunc accidit, quod P. Iacobus Overmans ab Universitate Imperiali acceptus est, ut illi in docendis litteris germanicis succederet: quod sane non parum auctoritatis et etiam utilitatis operi nostro affert.

---

(1) *Acta Rom.*, III (1923), p. 606.
(2) *Acta Rom.*, V (1924), p. 127.

Paucos dies ante terraemotum horrendum, i. e. die 26 augusti, RR. P. Iacobus López de Rego, Vicarius Apostolicus Insularum Marianarum, Carolinarum, Marshallensium electus, ab Apostolico Delegato RR. DD. Giardini, assistentibus Archiepiscopis Tokiensi RR. DD. Rey et RR. DD. Henrico Doering S. I., Vicario Apostolico Hiroshimensi, in ecclesia cathedrali Tokiensi Episcopus est consecratus. Die 29 augusti in Vicariatum suum abiit.

Mortem P. Friderici Ruppert, missionarii in Residentia Nomensis Alaskae Borealis, ephemerides publicae non paucae narraverunt. P. Socius Provinciae Californiae haec nobis rettulit: " P. Fridericus Ruppert in itinere, fugientibus canibus qui eum in curru trahebant, solus relictus, nimio frigore oppressus circa diem 16 dec. a. 1923 animam suam Deo reddidit. Nonnisi post aliquot dies inventum est corpus eius nive coopertum „.

6. - Caput de Missionibus absoluturus aliqua de Expositione Vaticana dicenda videntur; quae quantopere cordi sit S. Pontifici, illius inspiratori et fautori, satis ostendit quod, cum scivisset nationalem aliquam Missionum expositionem per hos dies in Belgio celebratam brevi esse claudendam, RR. DD. Secretario de Propaganda Fide commisit ut delegatum aliquem in Belgium statim mitteret illam inspecturum utilemque notitiam reportaturum, suasitque ut hoc munus P. Cirera, nostrae Societatis delegato ad Expositionem Vaticanam, committeretur; quod factum est.

Aedificia futurae expositionis alacriter exsurgunt; unum tantae magnitudinis ut fere totum occupet Palatii Vaticani cavaedium, quod " della Pigna „ vocatur, iam iam perficitur; alia, quotquot rerum exponendarum numerus et ordinata dispositio requirent, exstruuntur et etiam exstruentur. Cum vero mens sit non omnia permixtim exponere, sed locum dare ut propria cuiusque religiosae familiae opera discriminentur, cumque non solum praesens Missionum status, sed etiam earumdem historia exhibenda sit, spes affulget fore ut per hanc occasionem tam contemplatione rerum ostendendarum quam lectione opusculorum statum Missionum describentium, labores nostri inter infideles, et praeteriti et hodierni, magis cogniti vera luce collustrentur. Utile sane opus; incredibile enim cuipiam forte videatur, verum tamen est, non deesse, etiam inter conspicuos utriusque cleri viros, aliquarum praesertim regionum, qui putent nos hodie inter missionariorum ordines vix posse recenseri. Quod quidem non vanae ostentationis

amore, sed maioris Dei servitii vitare diligenter debemus, exempla S. Parentis Ignatii secuti qui nascentis Societatis laetos fructus studiose divulgandos curabat. Et merito, siquidem " ignoti nulla cupido „ esse potest, notitia vero maxime illorum, quae inter ethnicos peraguntur, summopere moventur homines sive ad opem qua possunt ferendam, sive, praesertim iuvenes, etiam ad vestigia missionariorum persequenda.

Levamen etiam non parvum, ut sperare licet, Missionibus nostris obveniet ex novo auxiliari ad hunc finem in Curiam cooptato, P. Eduardo Goulet (Prov. Can.), qui e Missione Nankinensi, ubi hactenus loboraverat, vocatus, nunc Missionibus omnibus peculiarem operam dabit. Munus specie quidem novum, re tamen a praescriptis Constitutionum minime alienum, imo eisdem apprime congruens, cum iam S. Ignatium, inter eos qui auxilio Generali esse debent, memoret unum cui cura sit " rerum indicarum inspiciendarum „.

7. – Non iniucundum fortasse vobis accidet numeros aliquos audire, qui e recentibus nuntiis hinc inde excerpti incrementum vel florentem statum nonnullorum operum nostrorum oculis subiicient, quamquam verum illud est non ex numero omnia esse aestimanda. Ipsa imprimis Societas anno elapso incrementum 400 Sodalium habuit (non computata Provincia Argentino-Chilensi, quae ob statutam ibi legem nondum catalogum misit). Itaque ultra 18.700 numeramur, e quibus circiter 1700 sunt Novitii.

Domus Exercitiorum ad Rathfarnham prope Dublinum recenter erecta (a. 1921) a mense martio 1922 ad mensem octobrem 1923, 85 cursibus 3007 viros exercitantes excepit. In Domo vero Rottmannshöhe in Germania Superiore 28 cursibus 1084 viri et iuvenes (academici, sacerdotes, ludimagistri) Exercitia anno 1923 peregerunt.

Ex periodicis commemorandum videtur illud Patrum Gallorum, quod inscribitur " Etudes „, continuo augmento crescens nunc fere 7000 subscriptorum numerare.

Apostolatus Orationis in Statibus Foederatis 181 nova centra elapso anno instituit; foliorum autem – intentiones – 2.000.000 singulis mensibus distribuit. In Hibernia circiter 150 familiae, ut ex diplomatis distributis constat, singulis hebdomadis SS. Cordi consecrantur.

Universitatem Gregorianam nunc 1139 alumni frequentant;

numerus tribus tantum inferior maximo, quem anno 1908 Athenaeum attigerat.

Sed cum de numeris agatur, praeteriri nequit Universitas Fordham (Prov. Maryl.–Neo Eb.) quam, plurimis aedium et magistrorum defectu reiectis, celebrant alumni non minus 4800.

8. – In superiore quadam epistola de primo lapide novae Curiae posito referens, hoc coeptum precibus vestris commendavi. Ad idem faciendum hodie his litteris finem impositurus revertor; nam omnino inopinate non parvae difficultates exortae sunt, quae operi tanti momenti tantaeque necessitatis gravia impedimenta afferre minantur. Quantis autem loci angustiis Curia prematur cum semper sentitur, tum maxime apparuit cum hoc anno demum exsecutioni mandari potuerunt iam diu desideratae institutiones Secretariatus Missionum et Congregationum B. M. V. Quae, ut alia etiam opera, quae Pater Noster bono communi Societatis promovendo semper intentus, excitare exoptat, sine opportuna sede aegre evolvi possunt.

Me quoque vestris ss. SS. et OO. commendo

Romae, die canonizationis S. P. Ignatii
et S. Francisci Xaverii, 12 martii 1924.

Omnium servus in Xto.
Henricus Carvajal
Secr. Soc. Iesu.

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

II.

Apr.-dec. 1924.

Reverendi Patres Fratresque in Xto. Carissimi :

P. Xti.

Diuturniorem huius epistolae moram mirati, vos, ipsi forsitan causam invenistis; nam mensibus superioribus plures e nostra Curia totum fere ab ordinariis negotiis vacuum tempus duobus edendis libris impenderunt, quos nunc omnes prae manibus habetis: " Statuta Congregationis Generalis XXVII[ae] „ et " Epitome Instituti Societatis Iesu „. Patre Nostro dein in Hispaniam proficiscente, visum est consuetis nunciorum litteris supersedendum, donec is in Urbem reverteretur. Rediit quidem die 14 octobris, sed post paucos dies febri correptus, in lectulo tres hebdomadas manere coactus est. Nunc vero, Deo favente et nostras preces benigne excipiente, ad negotia Societati tractanda est restitutus. Quo primo gratissimo nuntio vobiscum communicato, ad alia veniamus quae hic evenerunt vel aliunde nobis allata sunt.

1. – Et ut ab Urbe incipiam, digna profecto sunt quae commemorentur saecularia sollemnia Collegii Romani, nostrae Societati a Leone XII anno 1824 iterum concrediti. Die 9 mensis martii initium factum ab inauguranda in Pontificia Universitate Gregoriana consultationis aula, selectis libris instructa ad quam etiam externis pateret aditus. Intererant quinque purpupati Patres antiqui Universitati alumni vel professores, Emi. DDni. Bisleti, Laurenti, Sincero, Billot, Ehrle, una cum aliis Praelatis, et Patre Nostro cum Assistentibus. Em. Card. Ehrle pulchram habuit orationem de necessitate et utilitate scientiae sacrae, cui comparandae, duce Angelico Doctore, nova illa aula omnibus subsidio esset futura. Deinde P. Rector dierum festorum evulgavit programma; Summi denique Pontificis nomine peculiarique commendatione Em. Cardinalis Bisleti adstantibus benedixit.

2. - Adventante dein festo die B. Roberti Bellarmino, 13 maii, quo die anno superiore Beatorum illi honores tributi erant, in templo S. P. Ignatii, ubi Beati Viri exuviae coluntur, Em. Card. Raphael Merry del Val, olim Universitatis alumnus, comitantibus undecim Episcopis, quinque Abbatibus pluribusque aliis Praelatis, qui et ipsi fere omnes nostrae Universitatis aulas frequentaverant, ex hodiernis vero discipulis plus mille adstantibus, pontificali ritu maximaque pompa in gratiarum actionem sacris operatus et atque intra Missarum sollemnia perpulchra homilia totam Gregoriani Athenaei historiam complexus, eius laudes et merita brevi sermone recensuit, eos praesertim commemorans qui illius praecipua sunt lumina et ornamenta, Sanctos ac Beatos, Aloisium in primis et Robertum Bellarmino, Summos Pontifices aliosque insignes Ecclesiae Pastores bene multos, in Collegio Romano ad virtutem et scientiam quondam excultos. Quos inter diserte memorare voluit Pium XI, qui nostris sollemnibus aderat spiritu et suo nomine apostolicam Benedictionem impertiendam ipsi Cardinali commiserat.

A meridie RR. DD. Janssens, O. S. B., Bethsaidae titularis episcopus, panegyricam habuit orationem, qua beatum Bellarmino exemplar proposuit iis qui studiis ecclesiasticis vacant. Deinde, cantato hymno " Te Deum „, Em. Sacri Collegii Decanus Card. Vannutelli adstantibus SS. Sacramento benedixit. Uterque Praesul pariter inter Collegii Romani alumnos numeratur.

Postero die non minore adstante corona, etsi (ut decebat) severiore apparatu, pia habita est defunctorum sive professorum sive alumnorum memoria, Sacrum faciente Ill.mo ac RR. DD. Ioanne Zonghi, Archiepiscopo tit. Colossensi, absolutionem autem tumulo impertiente Em. Card. Antonio Vico.

3. - Dies tandem advenit qua tota Gregoriana Universitas coram Summo Pontifice convenire debebat. Dixeris ipsum Beatissimum Patrem hunc diem praegustasse; comperimus enim Eum pridie inspicere voluisse locum ad solemnen hanc receptionem selectum apteque instructum, qui fuit Musaeum quod vocant lapidarium. Statuto ergo die 17 maii, eo convenerunt alumni et Magistri Athenaei Gregoriani, multi e Nostris, plures Urbani Antistites et Episcopi, atque undecim insuper Patres Cardinales, omnes olim Collegii Romani discipuli vel Lectores: Emi. DD. Vannutelli, Vico, Merry del Val, Nasalli-Rocca, Bisleti, Billot,

Laurenti, Sincero, Ehrle, Lucidi, Galli. Cum SS. DD. Noster Pius PP. XI in aulam pedem intulit, uno veluti impetu gestierunt et acclamarunt omnes, subridente et benedicente dulcissimo Christi Vicario. Ad quem dein in throno sedentem, praemisso ab alumnis cantu " Oremus pro beatissimo Papa nostro Pio ",, accessit R. Pater Generalis brevique oratione, Universitatis et Societatis nomine, gratias egit. Post haec R. D. Alfredus Ancel, e Pontificio Seminario Gallico, in singulari prorsus concertatione, universae theologiae theses per horam strenue defendit. Singularem concertationem dixi, non modo ob ingentem et praeclarissimum testium multitudinem et augustissimam Pii praesentiam, sed etiam ob eminentissimam Examinatorum personam; eo enim munere fungebantur Emi. Cardinales Ludovicus Billot, Camillus Laurenti, Aloisius Sincero, qui non pro forma, ut aiunt, sed serio et valide gravissimas theses impugnabant. Vix absoluto examine, cui intentas aures praebuerat, amantissime Pontifex verba fecit, quae in proximis " Actis Romanis " simul cum oratione Patris Nostri vobis legenda exhibebuntur. (1) At vero scripta verba nos satis referunt singulares illas erga Societatem et Universitatem benevolentias, quas vel ex vultu, vocis modulatione totaque dicendi ratione omnes audientes emicare perspiciebant. Concinentibus denique alumnis novum Gregorianae Universitatis hymnum, Beatissimus Pater ab aula discessit non sine novis paternae benevolentiae signis erga complures adolescentes qui ad illum propius accesserant, quos inter singulari benignitate paulisper allocutus est quosdam nigritas: nostrae Universitatis et ipsos alumnos.

De his omnibus cum paucis post diebus Ei gratias ageret Pater Noster, placide et modeste, ut assolet, subridens ait cupere Se saepius huiusmodi publicos scholares actus coram Pontifice fieri, non solum quod iis maxime iuvetur necessaria alumnorum aemulatio; sed etiam " ut opportuna Papae detur occasio in sereniore regione nonnihil temporis transigendi " (" perchè il Papa si trovi per qualche ora in un ambiente più sereno! ").

E Vaticano egredientes vicinum S. Marthae hospitium, fraterna agape e diversissimis nationibus et ordinibus religiosis collegit plus ducentos partim antiquos partim hodiernos sive alumnos

---

(1) Mutato deinde consilio, visum est haec documenta non in " Actis Romanis " sed in " Memorabilibus S. I. " edenda esse. — Vide infra, in hoc eodem volumine, pp. 181 sqq.

sive Magistros: unus omnium erat spiritus, una mens, ut ex haud paucis oratiunculis sub finem habitis clare patuit: gratias quam maximas esse reddendas Deo in primis, deinde Societati, per quam e Collegio Romano tot tantique virtutum et scientiae manarent fructus. Em. Card. Ludovicus Billot, a P. Rectore invitatus, ultimus dixit, debitas item gratias nomine Societatis et Universitatis omnibus rependens.

Nec satis: cogitanti Patri Rectori communem omnibus hodiernis alumnis excursionem praebere, deque ea cum Summo Pontifice in proxima audientia colloquenti ultro spopondit Se itineris impensas esse soluturum. Itaque die 26 maii, comitantibus Moderatoribus, omnes alumni, peculiaribus viae ferreae curribus ad hoc conductis, ad colles tusculanos secesserunt, rusticano otio in nostro Collegio " Mondragone ,, per diem fruituri.

4. – Haec saecularia festa novo eoque dulci vinculo antiquos alumnos inter se et cum Gregoriano Athenaeo devinxere. Hisce enim diebus, ut proxima epistola significabam, ortum habuit, " Sodalicium Gregorianum antiquorum alumnorum ,, B. Roberto Bellarmino dicatum, cui sors singularis contigit, ut primus eius Sodalis ac Praeses ipsemet sit Beatissimus Pater Pius XI; qui Apostolicis Litteris " *Ea inter* ,, die 5 maii datis, illud approbavit, eiusque curam Suo nomine et loco agendam Em. Card. Caietano Bisleti commisit. Quo in documento, probe vobis noto, consilium etiam aperitur, nunc opere completum, de Gregoriana Universitate numismatis excudendi.

Nam cum moris sit cuiusque Sacri Principatus anni praecipuum eventum numismate excuso celebrari, voluit Beatissimus Pater ut hoc anno imago insculperetur " prophetica ,, quemadmodum Ipse lepide dixit, futurarum Universitatis Gregorianae aedium prospectum referens, hac inscriptione: " *Gregorianum abhinc ann. C Soc. Iesu rest. nova sede donatur MCMXXIV* ,,. Etenim amplioris aedificii necessitas tam alte insidet animo benevolentissimi Pontificis, ut primum eius lapidem quantocius poni Ipse iusserit.

Nuperrime autem aliud addidit Suae in Gregorianum Athenaeum benevolentiae pignus, novam Motu-proprio " Latinarum litterarum ,, erigens cathedram, ad quam validissimis argumentis accivit et invitavit ex utroque clero laicosque quotquot latini sermonis decori et maiestati studere velint, illos praesertim qui

in sacris Romanis Congregationibus aliisque ecclesiasticis Curiis aut iam navant aut navaturi sunt operam. Primus erectae cathedrae Lector, Pontifice approbante, renuntiatus est P. Hermelandus Costa (Prov. Rom.).

5. – Verum non solum Universitas Gregoriana, plures etiam aliae domus atque Societas universa paternam Pii XI benevolentiam expertae sunt; cuius rei, ut minora, etsi non spernenda, omittam, insignia hisce mensibus exstant documenta: Breve " Cum dilectus „ die 20 martii datum, quo indulgentia plenaria *toties quoties* lucranda conceditur quotannis in diem festum S. P. Ignatii; Litterae Apostolicae quibus templa nostra Oostackerense (Prov. Belg.) et Mariascheinense (Viceprov. Cechoslov.) ad basilicae minoris dignitatem evehuntur; pulcherrima deinde epistola septuagesimum quintum libelli periodici " Civiltà Cattolica „ commemorans annum, atque illius eiusque scriptorum laudibus plena; ideo etiam gratior quod Pontifex ei studiose subscribere voluit festo die S. P. Ignatii, eamdemque statim ipso mane P. Rectori Collegii mittendam curavit.

Neque praetermittendum est illud Motu proprio " Bibliorum scientiam „ (17 aprilis), quo Institutum Biblicum nobis commissum ita omnibus orbis episcopis commendatur, ut iam una ex maximis scientiae biblicae palaestris pro tota Ecclesia dicendum sit. — Eminentissimo denique Cardinali Francisco Ehrle S. I. octogesimum annum ineunti inusitatum prorsus tribuit Beatissimus Pater honorem, cum die 4 novembris, nobilissima viginti duorum Cardinalium stipatus corona, et coram Nationum Legatis aliisque plurimis magni nominis viris, quinque volumina " Miscellanea Ehrle „ ab eruditissimis doctoribus ad eius honorem conscripta, suis Ipse manibus obtulit, multa et singularia de Patris Ehrle in scientificam rempublicam meritis, non sine manifesta grati animi significatione praefatus.

6. - De nostra Societate triumphante aliqua in his quoque litteris commemorare liceat. Et primum quidem de venerando corpore Beati Andreae Bobola, quod, ut in proxima mea epistola attigi, in Vaticano servabatur. Inde die 18 maii in templum nostrum SS. Nominis Iesu translatum est, non sollemni quidem ducta per vias pompa, sed peculiari curru a Palatio Vaticano, comitantibus Pontificiis Custodibus. Ad templi fores sacras reliquias exceperunt Emi. Cardinales Antonius Vico, S. Rituum Congregationis Prae-

fectus, et Ludovicus Billot et Franciscus Ehrle, RR. DD. Iosephus Palica Arch. Philippensis pontificalibus vestibus indutus, Exmus. Patriarcha Antiochenus, praecipui S. Rituum Congregationis officiales, aliique illustres viri sive ecclesiastici sive laici, quos inter Legatus Poloniae apud S. Sedem. Sed prae ceteris in se omnium oculos trahebat Beati Martyris concivis RR. DD. Ioannes Bapt. Cieplak, Archiepiscopus tit. Achridanus, qui longa confectus captivitate et a Russiae Sovietis morte damnatus, paucis ante diebus Romam advenerat et tamquam verus fidei confessor a Romano populo per illos dies vix non colebatur.

Corpus Beati Andreae solemni ritu deductum est ad altare S. Francisci Xaverii, et ad cornu evangelii in throno apte ornato depositum. E triduana dein supplicatione et ex libellis B. Martyris vitam narrantibus large in vulgus diffusis, laeti fructus obtenti sunt. Statim enim pio fidelium concursu Beatus Martyr coeptus est honorari, neque, quemadmodum ex votivis donariis apparet, sine caelestium beneficiorum copia; inter quae nonnulla ad veri nominis miracula ascendere dicuntur. Quare Dei providentia factum videtur ut sacra Beati Bobola ossa Romam translata sint, quo citius ei supremi caelitum honores decernantur. Quod profecto quam maxime avet ipse Summus Pontifex, olim in Polonia Nuntius Apostolicus, qui B. Martyris imagines parvulasque reliquias a nostro Postulatore petiit et ad aegrotos mittendas curavit; quin etiam quibusdam Se invisentibus ultro commendavit ut in suis necessitatibus ad Beatum Andream magna cum fiducia recurrerent. Quo autem fidelius divinae Providentiae cooperemur, Pater Noster Postulatori Generali commisit, ut diligenter inquireret in miracula quae narrantur. Quae cum fide digna inventa essent, S. Rituum Congregatio in consessu diei 15 iulii hanc causam resumendam decrevit.

7. – Ad supremos item honores magnis properat itineribus, ut nostis, B. Petrus Canisius, de cuius miraculis die 21 octobris apud eamdem S. Rituum Congregationem primum disceptatum est. Nec desunt qui iam nunc de Doctoris titulo ei decernendo sint solliciti, ut Germaniae et Neerlandiae Episcopi omnes, aliique non pauci, qui postulatoris hac de re epistolas ad Summum Pontificem dederunt. — De causa Martyrum Canadensium ante mensem ad vos litteras dedit Pater Noster; magna siquidem affulget spes eos anno proximo in Beatorum numerum adscriptum iri.

Utraque causa iterum vestris precibus enixe commendatur, ut difficultates quae supersunt superari possint.

8. - Vallisoletum (Valladolid, in Hispania), quae civitas et primum et supremum Venerabilis Patris Ludovici de la Puente diem vidit atque eiusdem cineres religiose servat, consilium iniit tercentesimum sui civis anniversarium singulari quadam tantoque viro plane congruenti significatione commemorandi, congressu ascetico, diebus 23 ad 30 octobris celebrando.

Huic nomen dederunt plus mille et quingenti, quorum magnam utique partem, quod praesentire licebat, clerus suppeditavit tam saecularis quam regularis; legatos enim miserunt religiosi Augustiniani, Benedictini, Capuccini, Carmelitae, Dominicani, Franciscani, Santi Francisci a Paula et SS.mi Redemptoris, Missionarii Cordis Mariae. Hi omnes, in quinque sectiones divisi, quibus singulis singuli praeerant Ecclesiae Antistites, scriptiones prius elaboratas inter se disseruerunt.

Quotidie etiam vespere in nostrum antiquum templum, quod ossa V. P. de la Puente custodit eiusque cellam, iam pridem in sacellum conversam, contingit, non solum cuncti congressui adscripti, sed alii praeterea bene multi conveniebant, selectos viros audituri ex variis Ordinibus religiosis, qui historica oratione propriorum scriptorum asceticam doctrinam singularemque characterem illustrabant.

Verum opportune celebritatis huius auctores theoreticam virtutum christianarum tractationem cum earum usu coniunxerunt; diversis enim in templis dum sacra fierent, nonnulli sacerdotes per hos dies singulas societatis classes, viros, feminas, iuvenes studii deditos sive sacris sive profanis, pueros puellasque seorsum hortabantur. Quo factum est ut Congressus duplici clauderetur generali communione: altera bis mille puerorum, altera ceterorum fidelium.

Singulari insuper apparatus magnificentia retectus est lapis marmoreus, affabre sculptus, atque domui, in qua Dei Servus natus est, affixus, diem et locum fausti illius eventus in posterorum memoriam traditurus.

Pietatem denique ac venerationem movit in eximium Magistrum simulque in eius olim in vita spirituali alumnam Venerabilem Marinam de Escobar, utriusque pignorum, quae plurima Vallisoleti conservantur, exhibitio, eloquenti oratione a Rectore

civilis Universitatis inaugurata. Nonnulla conspiciebantur quae ad alterutrius supellectilem pertinuerunt; documenta illius aetatis quae ad eos referuntur; eorum manuscripta; ac praesertim spiritualium V. P. de la Puente operum plurimae in diversissimis linguis editiones, quas inter eminebant meditationes in linguam arabicam et sinensem conversae. Faxit Deus ut, excitata in Venerabilem Patrem populorum fiducia, tandem impetrentur miracula, quae sola ad eius beatificationem desiderantur.

9. – Quo anno Ven. P. Ludovicus de la Puente ad caelestia vocabatur, eodem (21 martii 1624) aliud nostrae Societatis lumen ortum habuit, P. Paulus Segneri (senior) sacrorum oratorum in Italia facile princeps, cuius faustissimi eventus tercentenariam memoriam recolere voluit, magistratu praeeunte, eius natale oppidum, Nettuno, in suburbicaria dioecesi Albanensi situm. Die 28 septembris, in quem sollemnitates praecipuae indictae erant, omnes pagi domus viaeque festivis ornamentis decoratae civium laetitiam demonstrabant. Convenerat ab Urbe una cum pluribus aliis clari nominis viris nunnulli nationales deputati, Subsecretarius Status ab Instructione publica qui personam Gubernii gerebat, regius Provinciae Praefectus, aliquot superiores militiae duces et nonnulli regiae Universitatis Romanae professores. Aderat quoque praeter alios ecclesiasticos RR. Vicarius Generalis dioecesis pro Cardinali Episcopo absente, et e Nostris P. Procurator Generalis aliiqui e Provincia Romana, quae Patrem Segneri alumnum et sodalem habuit. Coram his omnibus atque ingenti populi multitudine, marmor in domus Segnerianae pariete inclusum sollemni ritu revelatum est.

Mox verba fecerunt tres Deputati nationales, qui etsi non omnes christiana pietate eminerent, de Patre Segneri immo de eius in primis religiosis virtutibus tam bene locuti sunt, ut diceres eos praeoccupasse praecipuum argumentum rationis in aula municipali a P. Galilaeo Venturini (Prov. Rom.) habendae. Hic eximii oratoris sanctitatem praesertim descripsit, quam adeo excelluisse demonstravit, ut votum proponere non dubitaverit de eius beatificatione a Sancta Sede impetranda; et simul rogandam edixit civilem potestatem ut publico sumptu iterum edantur omnia illius opera et in vulgus spargantur, cum magno non minus litterarum quam pietatis emolumento. Utrumque votum auditores acclamantes suum fecerunt; eodem prorsus modo quo paulo ante

exceperant duplex aliud votum a Neptunensi magistratu propositum, transferendi ossa Patris Segneri ab ecclesia S. Andreae in Quirinali ad templum sui oppidi natalis, atque ibidem in maxima platea monumentum tanto viro dignum excitandi.

10. – Non semel in his litteris agebatur de prodigiis quibus S. Franciscus Xaverius a Deo honoratur, quocumque eius brachium populorum venerationi defertur. — Nec fuit abbreviata manus Domini cum mensibus aprili et maio Siciliam peragraret. Ubique magnus fidelium ad Sacramenta suspicienda concursus, ubique mirum fidei augmentum, plurimae peccatorum conversiones multae religiosae vocationes, favores item corporales quos inter plures adeo insignes ut locorum Ordinarii ad iuris normam de illis inquirendum statuerint. Civitas vero Calatanixetana (Caltanissetta) publicum in gratiarium actionem testimonium edere voluit, Sanctum Franciscum Xaverium inter caelestes urbis Patronos sibi eligendo; cuius votis Sancta Sedes nuper libenter annuit.

Eadem omnino pietatis documenta edidere Melitenses (Malta) insulani, quibus copia sacras has reliquias venerandi fieri debuit. Debuit, inquam; nam etsi primum mens esset eas eo usque non deferre, tanta dein fuit pia omnium civium importunitas, ut Pater Noster nequiverit illud beneficium denegare. Prope Melitam adest Gaudisium (Gozo) insula, quae per unum saltem diem sanctum brachium sibi concedi vehementer postulabat; quod tamen, cum timeretur ne semel asportatum statuto tempore non rediret, petentibus denegatum est. At ecce tibi: multa nocte magni fiunt strepitus ad Melitensis Collegii fores. Parochi omnes Gaudisienses adstant, instantissime rogantes ut sacrum thesaurum secum afferre liceat, sin minus omnes insulae cives in ipsos pie insurrecturos; iam in portu adesse navim, se non discessuros sine reliquiis Xaverianis; promittere vero nocte proxima se fideliter eas in Collegium esse relaturos. Quod, Patre Rectore eos comitante, praestiterunt.

Ab insula Melita Tusculum defertur sanctum Brachium, et tandem die Pentecostes, 8 iunii, vespere Romam pervenit. Post triumphalia et vere apostolica per Italiam itinera, quibusdam clarissimis viris auctoribus, atque in primis Cardinali Laurenti, Summoque Pontifice approbante, festivo quodam ritu in Urbem receptum est. Et quamquam aliae publicae celebritates, in idem

fere tempus incidentes, longiorem ducere pompam prohibuerunt, sexaginta tamen currus automobiles sacrum Brachium comitati sunt a Laterano ad basilicam S. Marci, unde, religioso agmine instructo, sat magno populi concursu ab Em. Card. Vico ad SS. Nominis Iesu delatum est, ubi aliqui alii Patres Cardinales et viri perillustres sollemnem Deo gratiarum actionem sua praesentia condecorarunt. Sic finis beneficae huic concursationi impositus fuit.

Renovata sane est memoria praeclari illius Indiarum Apostoli, divulgata eius gestorum cognitio, atque novo fervore inflammatus in eum amor tot alimentis opusculorum, imaginum, aliorumque id genus, quae hac occasione ubique diffusa sunt. Atque ut huius itineris recordatio non eradatur, quod alteram quasi aetatem in fastis S. Francisci Xaverii constituit, editus est in Hispania liber qui praecipua ibidem peracta refert, ac proprios etiam qui intra cuiusque territorium gesta continent, commentarios ediderunt Societatis Provinciae Romana et Neapolitana et Sicula.

11. – Pauca de Exercitiis S. P. N. dicenda veniunt. — Quo melius in dies ea tradenda docerentur Nostri, mense augusto ineunte in Collegium Oenipontanum (Prov. Austriae) complures Patres ex variis Provinciis convenerunt, nonnullas de Exercitiis quaestiones discussuri. Ad eorum praxim quod attinet, quibusdam in Provinciis, ut Aragoniae, Castellana, Cechoslovacha, cum nostrae domus vel non sufficiant, vel a fidelibus excolendis nimis absint, felici exitu tradi coepti sunt secessus, qui clausi dicuntur, in domibus alienis, interdum etiam aliorum Ordinum religiosorum, in Collegiis vel scholis aliisve institutis. — Optimum etiam consilium est coadunandi, quantum fieri potest, eiusdem classis viros ad Exercitia Spiritualia simul peragenda, quo facilius haec possint ad eorum conditionem accommodari. Qua in re memorandum exemplum dedit Provincia Angliae hoc anno ineunte: 30 enim medici Exercitiis simul exculti sunt in Collegio Maximo Sancti Beunonis. Item Provincia Taurinensis, in cuius Domo Exercitiorum Gaudianensi (Gozzano), mensibus aprili et maio duos cursus peregerunt Praesides et officiales (66 omnino) Mensae cuiusdam nummariae (*Banca del Piccolo Credito Novarese*); quod pari ratione pro aliis eiusdem conditionis viris mense octobri factum est in nova Exercitiorum Domo Bassanensi (Prov. Ven.) et eodem fere tempore in Domo Walpole (Prov. Neapol.). — Quanti au-

tem S. P. Ignatii Exercitia ab Episcopis fiant (ut alia exempla praetermittam), luculenter ostendit Em. Card. Bourne, Archiepiscopus Westmonasteriensis, qui dum Scotiam peragraret, data opera nostras Exercitiorum Domos invisere voluit.

De Marianis Sodalitatibus perfectius regendis iure meritoque sollicitus, Praepositus Provinciae Venetae omnes Pater suae Provinciae huic muneri addictos exeunte mense aprili in Convictum Patavinum convocavit ut mutuis, ipso praeside, collationibus in tanto opere fovendo iuvarentur.

Pater Noster vero, quae est eius cura de Marianis Sodalitiis in dies fovendis, in Curiam advocavit alium e Nostris, P. Laurentium O' Keeffe (Prov. Calif.), qui Patri Bangha auxilio sit in Secretariatu centrali moderando et in periodico libello " Acies Ordinata „ edendo, pro regionibus praesertim lingua anglica utentibus.

12. — Missionum exterarum incrementum, Deo favente, multis modis promovetur. — In Sinis primum omnium Episcoporum plenarium concilium, Delegato Apostolico praeside, Shang-hai nuper habitum est, cui celebrando aedes nostrae et S. Ioseph ecclesia commodatae sunt, et plures e Nostris operam contulerunt.

In conventu omnium Ordinariorum Africae Meridionalis, R. P. Robertus Brown (Prov. Angl.), Praefectus Apost. Zambesianus, a secretis nominatus, communes litteras omnium nomine dandas conficere et mittere iussus est: qua occasione communi suffragio gratiae actae sunt plurimae nostro Collegio Sancti Aidani (Grahamstown) ex quo multi ecclesiastici et religiosi viri prodierunt, decretumque est ut in posterum omnes Vicarii vel Praefecti Apostolici illuc mittant pueros qui vocationis signa praebeant.

In Indiarum Orientalium urbe Madras (Miss. Madurens. Prov. Tolos.) Universitas iamdudum expetita tandem inchoata est.

Bengalensis Missio (Prov. Belg.) suum amisit amantissimum Archiepiscopum, RR. DD. Britium Meuleman S. I. qui, diu gravi morbo aegrotus, valetudinis curandae causa in patrium Belgium rediturus, Massiliae (Marseille) in Gallia pie obiit die 15 iulii, aetatis anno 63, Societatis 45. Calcuttensem ecclesiam, quam viginti duos rexerat annos, nuper resignaverat, enixe a Summo Pontifice petens ut sibi, quovis episcopali honore deposito, privatum Societatis religiosum agere deinceps liceret. Voti, non sine multorum admiratione, compos factus, vix optata facultate uti potuit, cum, ingravescente morbo, in xenodochium Massiliense Sancti

Ioseph deferri debuerit, ubi frequentissime a Nostris invisebatur, misso etiam ad hoc quodam Patre e Belgica Provincia, qui ei ad finem usque adesset. Aedificationi omnibus fuit eius patientia et religiosa paupertas; hanc vero in sepulcro quoque sociam habuit: cum enim, Calcutta discedens, pontificalia omnia indumenta RR. DD. Ferdinando Périer, Coadiutori suo et nunc successori, reliquisset, Massiliensis Episcopus, qui in xenodochio non semel eum visitaverat et morienti ultima Sacramenta administraverat, volens ei iusta funebria Episcoporum more solvere, ut pontificali ritu vestiretur omnia donavit.

R. P. Assistens Galliae medio fere mense octobri Urbem reliquit Missiones Armeniae, Aegypti, Syriae (Prov. Lugdun.) visitaturus. Similem nuper instituit visitationem P. Franciscus Dillon, Praepositi Prov. Californiae munere proxime functus, in suae Provinciae Alaskana Missione. — Et quoniam de hac Missione incidit sermo, minime duco praetereundum quod Missionarius quidam nobis retulit mire factum. Vocatus hic fuerat ad baptizandam puellulam recens natam et morti proximam; quam, cum praeter voluntatem moratus serius convenisset, domesticorum existimatione iam mortuam invenit. Miseratus Pater aeternae infelicitatis puellulae, quippe cui nemo, quae est illorum populorum ignorantia, baptisma contulisset, praegrandi fidei ardore inflammatus elata voce nec sine lacrimis coram omnibus Deum rogare coepit, ut, Beata Teresia a Iesu Infante intercedente, tantum vitae puellulae restitueret quantum sufficeret ad eam sacro fonte regenerandam. Sive vere mortua erat, sive tantum videbatur, puellula, magna sane adstantium admiratione, ocellos aperuit et, statim ac salutaribus abluta est aquis, non modo animae sed et corporis vitam recuperasse visa est.

13. – In paranda Vaticana Missionum expositione impigram navant operam complures a Nostris sive in Urbe sive alibi. Ex Romae degentibus, supremum expositionis curandae Consilium quatuor de Societate delegit, ut todidem sectionibus particularibus praeessent: P. Richardus Cirera (Prov. Arag.) qui inde ab initio in toto hoc negotio partes agit Societatis, praeest sectioni Asiaticae; P. Eduardus Goulet (Prov. Canad. Inf.), Secretarii Societatis Substitutus pro Missionibus, praeest sectioni Africanae; P. Petrus Tacchi Venturi (Prov. Rom.) sectioni historicae, addito ei socio P. Francisco Rodrigues (Prov. Lusit.); P. Iosephus Gian-

franceschi (Prov. Rom.), pontificiae Scientiarum Academiae Praeses, sectioni scientificae et aulae Martyrum. Ad hos adiuvandos ultimis hisce mensibus Romam quoque venerunt e Belgio P. Ludovicus Dumoulin (Miss. Bengal.) et P. Aloisius Le Grand (Miss. Kwang.) qui negotia suae quisque Missionis ibi agebant; ex Philippinis P. Iosephus Algué (Prov. Arag.), director speculae astronomicae Manilensis; ex Gallia P. Petrus de la Devèze (Prov. Tolos.), Procurator Miss. Tananarivensis; item P. Henricus Pinard de la Boullaye (Prov. Camp.) pro sectione ethnographica. Statisticae omnium Missionum adparandae multum laboris et curae tribuit P. Bernardus Arens (Prov. Germ. Inf.), qui bis Romam hunc in finem accitus est; item sectioni astronomicae et scientificae parandae aestivos menses impederunt PP. Ioannes Stein et Cornelius Wessels (Prov. Neerl.), et bibliothecam missionariam condendam suis consiliis iuvit P. Antonius Huonder (Prov. Germ. Sup.). Nec satis: cum in fine, ut solet, motus fiat velocior, cumque die 21 decembris expositio aperienda sit, ultimis hebdomadis alii haud pauci e nostra Curia Patres Fratresque quotidie in aedes Vaticanas properant, quo nostrarum Missionum res aptius disponi possint. — Quod si his omnibus addere velimus quotquot in singulis Missionibus res colligendas mittendasque curarunt, ingens sane apparebit Societatis huic magnae rei perficiendae libenter collata opera.

Non exiguum fructum sperare fas est ex Congressu generali omnium Missionum anno proximo in Urbe cogendo, qua occasione etiam Nostrorum de Missionibus conventus, praesidente R. P. Assistente Americae, habebitur, de quo ex mandato Patris Nostri P. Cirera, epistola die 15 august. data, cum Provincialibus egit.

14. – Ut singulari studio quo Romanus Pontifex Orientales Ecclesias ad catholicam unitatem reducere curat, respondentes, felicem illum diem pro modulo nostro acceleremus, quo unum fiat ovile et unus Pastor, litteris die 7 iulii ad omnes Provinciales datis, de consilio ipsius Pontificis commendavit Pater Noster scriptoribus Societatis, ut hanc Illius mentem pervulgarent, modosque ad eam promovendam aptos exponerent; non modo in libellis periodicis doctioribus, sed et in piis etiam ac simplici populo destinatis.

Huc etiam pertinet novum illud, quod hoc anno, Sancta

Sede approbante coeptum est: duo e Nostris in finibus Podlachiae, quae est Poloniae dioecesis Russiae finitima, ritui orientali se adscripserunt, quo facilior ad veritatem catholicam aperiretur reditus earum regionum schismaticis. Primi isti orientales Iesuitae sunt P. Carolus Bourgeois (Prov. Franciae) et P. Michael Malinowski (Prov. Poloniae). Superatis primis difficultatibus, iam schismaticorum haud paucorum animi ad Unionem Romanam inclinantur, nec deest spes aperiendi parvum quoddam Seminarium ad vocationes sacerdotales et religiosas excolendas, ut primum illis duobus alii e Societate addi poterunt.

Eodem tendent congressus pro unione orientalium, qui Velehradii in Moravia, ut alias commemoravi, non a Nostris quidem, sed neque sine Nostrorum auxilio atque in Collegio quod Viceprovincia Cechoslovaca habet prope sanctuarium SS. Cyrilli et Methodii, identidem celebrantur. Etiam hoc anno, superiore mense augusto, ibi memorandus huiusmodi habitus est conventus, complurium Episcoporum et Apostolici Legati praesentia cohonestatus, in quo non parvam sibi promeruit laudem P. Michael d'Herbigny (Prov. Camp.), Pontificii Instituti Orientalis in Urbe Praeses, qui paulo ante de hoc eodem sibi carissimo themate in sectione orientali Congressus Eucharistici internationalis Amstelodamensis pari cum laude disseruerat. Utinam tam ingenti populorum orientalium multitudini brevi affulgeat vera pax Christi in regno Christi!

15. – Mense iunio anni proximi, simul cum damnatione operis " Historia interna documentada de la Compañía de Jesús „ a Sac. Michaele Mir conscripti, vobis significavi quot calumnias per libellos contra nos disseminent quidam qui ficto nomine I. de Récalde se contegunt. Hos tenebricosos Societatis adversarios, quamquam Ecclesiae filios obsequentissimos se profitentur, ab odioso labore non deterruit Sanctae Sedis sententia, qua eorum quoque nomini nota inurebatur, sed famosis pristinis libellis alios addiderunt, quos incredibili pervicacia latius in dies diffundunt, non modo in totam fere Europam, sed et in Americam et in Sinas, gratis eos submittentes, religiosis in primis viris, sacerdotibus, Praelatis, ipsisque Cardinalibus.

16. – Die 23 iunii, Principes Ras Tafari Maconnen, Aethiopiae imperii heres et iam nunc illud regens, cum Romae degeret et Summum Pontificem esset veneratus, sponte voluit SS. Nomi-

nis Iesu templum videre. Adfuit Pater Noster eumque templum ac S. P. Ignatii cubicula invisentem et admirantem comitatus est. Multum Princeps hac visitatione delectatus, editis etiam (etsi non sit catholicus) pietatis signis, spopondit se Patri Nostro suam effigiem photographice expressam propria manu subscriptam missurum, et paulo post per Card. Secretarium Status sex milia libellarum nostro templo obtulit.

Magni aedificii iuxta hoc primum Societatis templum iacentis, quod olim erat Domus Professa romana et Praepositi Generalis sedes, exigua tantum pars nostro usui a Gubernio primum data erat, ubi Patres templos inservientes vix degere poterant; cui angustae Residentiae complura alia dein cubicula paullatim addita sunt. Nuper vero, P. Petro Tacchi Venturi curante, amplior antiquae Domus pars nobis utenda concessa est, in qua, non sine intima animi commotione, visuntur cubicula Praeposito Generali et Assistentibus olim assignata, ubi tot tantique Societatis Moderatores sanctissime vixerunt. — Totam hanc Domus partem rite accommodatam ab ineunte mense novembri incolunt Patres Biennistae ibique cum suo Superiore, P. Augustino Bea (Prov. Germ. Sup.), regularem communitatem constituunt. Ibidem Praepositus quoque Provinciae Romanae sedem suam posuit.

Eadem occasione nobis complura restituta sunt antiqua documenta ad Societatem pertinentia, quae adhuc in archivo Status servabantur.

17. – Quod forte multi iam sciunt, id tamen non praetereundum esse puto, novas Societatis Provincias hisce mensibus esse constitutas.

Provincia Canadensis, per decretum primo Pentecostes die, 8 iunii, datum et die festo SS. Cordis Iesu, 27 iunii, promulgatum, in duas partes divisa est, Provinciam Canadae Inferioris et Viceprovinciam Canadae Superioris, quae Missiones quoque inter aborigenas complectitur.

Festo vero die S. P. Ignatii, in ipsa Sancti Conditoris natali domo Loyolaea, Pater Noster decreto subscripsit, quo inde a die 15 augusti Provincia Toletana in duas dividebatur: Toletanam et Baeticam. Haec, antiquo clarissimisque viris illustri nomine recepto, civiles Provincias amplectitur, quas communi vocabulo " Andalucía „ vocant, et praeterea Missionem Aequatorianam;

Missio enim Peruviana Toletanae Provinciae unita manet, quae reliquum pristinae Provinciae territorium occupat.

Denique, die festo Immaculatae Conceptionis B. M. V., 8 decembris, per decretum datum die 9 septembris, quo S. Petrus Claver Columbiae Patronus rite colitur, Missio Columbiana a Castellana Provincia seiuncta in Provinciam erecta est, manentibus cum Castellana coniunctis domibus in Republica Venezolana et in statu Panamensi sitis.

18. – Novas domos vel solo nomine indicare longum est. Honoris causa, et etiam quia non semel, in superioribus meis litteris de ea sermo fuit, commemoro in eo esse ut nova Curiae nostrae domus, sublatis tandem impedimentis, alacrius excitetur. Cum ergo hoc et novo Universitatis Gregorianae aedificio curandis nimis occupetur P. Petrus Basterra (Prov. Castellanae), qui praeterea est Consultor aedilicius ordinarius pro delineationibus a P. Nostro adprobandis in tota Societate, novus pro Patre Basterra nominatus est Oeconomi Generalis adiutor, P. Antonius Stravino (Prov. Neapol.).

19. – Initio mensis octobris, Romae singularis habitus est congressus in Collegio Germanico-Hungarico: ex omnibus fere Societatis Provinciis quadraginta circiter Patres cosmologiae vel affinium scientiarum doctores scriptoresve, prout iam pridem Pater Noster concesserat, undique convenerunt de sua scientia discussuri, quo melius hodiernis Cosmologiae conditionibus provideri possit. Conventus labores diligenter paraverat P. Aloisius Gatterer (Prov. Austr.), adiuvante P. Petro Hoenen (Prov. Neerl.), eique praefuit Praepositus Provincialis Romanus a Patre Nostro ad id delegatus. Per novem solidos dies, et non minus quinque quotidie horis, disputatum est; relatores designati brevi oratione complectebantur propositiones suas iam multo ante typis editas, quo melius disceptatio ab utraque parte parari posset. Et sane, omnibus fatentibus, hae concertationes serio fiebant, ita tamen ut inter opinionum varietatem neque philosophica tranquillitas neque mutua caritas unquam turbaretur.

20. – Unum superest dicendum, quod forte vos ardentius expectatis, de itinere, inquam, Patris Nostri in Hispaniam. Die 27 iulii vespere, R. P. Hispaniae Assistente comite, Urbem reli-

quit. Tolosae amantissime exceptus, cum inde omnino transeundum esset prope celeberrimum Lapurdense sanctuarium (Lourdes), ibi die 30 iulii Missam in sacra specu celebravit. RR. vero Episcopus Tarbensis et Lapurdensis Patrem Nostrum illo die in sua domo retinere voluit. Constitutum erat iter vespere via ferrea esse prosequendum; at vero Em. Cardinalis Benlloch, Archiepiscopus Burgensis, vix accepto nuntio de proximo Patris Generalis adventu, illum adire voluit et in ipsis Hispaniae finibus festivo apparatu recipere. Itaque automobili curru Lapurdium missus est qui de hoc doceret Patrem Nostrum rogaretque ut in eo transferri se permitteret. Nec aliter fieri potuit. Ad fines igitur Hispaniae perveniens Pater Noster obviam sibi adventare cernit Em. Card. Burgensem, aliosque primarios viros et ingentem populi multitudinem, ludis et modestis illius regionis saltationibus de tanti hospitis adventu gestientem; inde atque triumphantis in modum, longa rhedarum automobilium serie comitante, ad urbem Sancti Sebastiani deducitur. In nostram Residentiam (Prov. Cast.) ad eum salutandum convenerunt civitatis et Provinciae magistratus; et proximo die, Sancto Patri Ignatio totius regionis Patrono sacro, missa celebrata in qua numerosissimis fidelibus sanctam communionem distribuit, ab augustissima Regina Maria Christina, Alphonsi Regis Matre, quae tunc Sancti Sebastiani aderat quaeque eum puerulum noverat, in eius aulam vocatus benignissime excipitur. A meridie Loyolam profectus, vix dici potest quanta cum laetitia et sollemnitate receptus sit ab Azpeitiani oppidi popularibus, intra quorum fines S. P. Ignatii natalis domus et basilica exstat; ipse Pater Noster palam professus est sentire se ad suos venisse. Et revera ut suum civem habuerunt illum Azpeitiani, his etiam in triumphali arcu in eius honorem exstructo inscriptis verbis: " Vivat successor S. Ignatii, Azpeitiae filius adoptivus! „. — Azpeitiae vicinum et in pietate aemulum oppidum Azcoitia, quod materna gloriatur S. N. Parentis domo, in eaque genitricis memoriam sacello recens erecto recolit, facere non poterat quin Praepositum Generalem invitaret ut ad se etiam veniret; venienti autem totus populus obviam fuit, nec minori quam Azpeitianus gaudio et familiari exultatione eum prosecutus est.

Die 5 augusti, ut statutum erat, in Pontificium Seminarium Comillense (Prov. Leg.) se recepit, magna illorum civium laetitia qui, Azpeitianos imitati, triumphales arcus erigendos aliaque festi-

vitatis signa edenda curarunt. Complures etiam nobiles viri illic rusticantes ad eum excipiendum automobilibus curribus convenerant; oppidani vero frequentes ad summam collem, ubi nostra domus erigitur, eum comitari voluerunt nec prius discedere quam illius benedictionem reciperent. Comillis, ex medicorum sententia, ad finem usque augusti quievit. Hoc tamen tempore, die 14 augusti, proximam Santanderiensem urbem adivit Regem Alphonsum XIII visitaturus a quo humanissime receptus est et ad prandium invitatus. Gratum autem fuit inter familiaris prandii colloquia detegere tres, ex Aulae regiae addictis mensae accumbentibus, alumnos Societatis fuisse, et quidem totidem Collegiis, immo et nationibus diversis: La Guardia, Feldkirch, Stonyhurst. Viciniores etiam nostras domos Gegionensem (Gijón) et Ovetensem (Oviedo) per illos dies visitavit.

Ineunte septembri mense praecipuas Societatis in Hispania domos invisere coepit, Superioribus nostris monitis ne publicas promoverent neve permitterent populares manifestationes, quibus praeter omnem opinionem primis diebus exceptus est.

Nullibi tamen ei defuerunt visitationes a Praelatis ecclesiasticis, Magistratibus civilibus et militaribus, a Societatis benefactoribus et amicis ad eum salutandum institutae; nec etiam venerationis, amoris, exsultationis significationes a nostrorum Collegiorum alumnis sive hodiernis sive antiquis, a Congregationum aliorumque coetuum sodalibus, ab omnibus denique cuiusvis conditionis qui Nostrorum cura excoluntur sponte editae. Ipse vero, quantum per temporis angustias licebat, Nostros omnes aliosque ad se convenientes amantissime excipiebat, et opera Nostrorum curae commissa magno studio magnoque gaudio coram inspicere intendebat. In hunc fere modum visitavit Domos professas: Bilbaensem, Matritensem, una excepta Valentina; Domos omnes probationis: Loyolaeam, Carrionensem, Granatensem, Manresanam, praeter Gandiensem quae nimis distabat; Universitates et Collegia superiorum scientiarum: Bilbaenses Universitates Litterariam et Commercialem, Institutum Matritense Electro technicum et Barcinonense Chimicum ac Biologicum, praeter Comillensem Universitatem Pontificiam in qua antea diutius resederat; Collegia Maxima NN. Oniense, Sarrianense, Granatense aliaque Societatis domicilia quae non nimis a praestituto itinere abessent. — Matriti vero iterum ab Alphonso Rege benignissime in colloquium accitus est. — Ita omnes nostras Hispaniae Provincias saltem attigit, a nova Pro-

vincia Baetica ad Provinciam Aragoniae, unde, post conventum quinque Praepositorum Provincialium Barcinonae habitum, in Italiam rediit, et Romam pervenit die 14 octobris mane.

Magnam Curiae nostrae laetitiam ob amantissimi Patris reditum mox eius temperavit morbus quo die 14 octobris correptus est. Etsi aegrotatio non adeo magnam prae se ferret gravitatem, per tres tamen continenter hebdomadas lecto teneri debuit et cibo abstinere, donec, opitulante Deo et S. Stanislao intercedente, die 9 novembris primum surgere coepit, et die 21, Praesentationi B. M. V. sacro, sanctum sacrificium celebrare. Nunc autem Dei beneficio, plane convaluit et quotidianis laboribus solita alacritate incumbit.

Finem tandem huic tardae epistolae impositurus, adventantia D. N. Iesu Christi Natalitia festa quam laetissima vobis apprecor et me ss. SS. et OO. commendo.

Romae, 15 decembris 1924.

Vestrum omnium servus in Xto.
HENRICUS CARVAJAL
Secr. Soc. Iesu.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

DE SOLLEMNI CELEBRATIONE SAECULARIS MEMORIAE GREGORIANAE UNIVERSITATIS RESTITUTAE (1824 - 17 maii - 1924).

Romae, a die 13 ad 17 mensis maii, centesimus annus Pontificiae Gregorianae Universitatis Societati Iesu restitutae, magnificentissime est celebratus (1). Cum illud Athenaeum, tum propter magistros ad eius prosperitatem necessarios undequaque collectos, tum propter discipulos qui omnes fere provincias repraesentant, tum praesertim propter voluntatem Congregationum Generalium et ipsius Summi Pontificis, iure meritoque nuncupari possit totius Societatis Collegium, iucundum sane erit Nostris omnibus quaedam legere ex iis, quae, hac occasione, ab hominibus gravissima auctoritate pollentibus, in nostrae minimae Societatis laudem et consolationem dicta aut facta fuerunt.

En summatim quae ephemeris *L' Osservatore Romano* (2) scribebat de ritu religioso in templo S. Ignatii, die 13 maii, peracto: " Celebrationi saecularis anniversarii Universitatis Gregorianae pulcherrimum initium factum est. Eminentissimus Cardinalis Raphael Merry del Val, ingenti stipatus corona Episcoporum, Praelatorum ex omnibus Urbis scientiae et religionis palaestris omnibusque institutis; amplissimae Universitatis fere 1400 alumni cum omnibus magistris; permagnus numerus, ex omni gradu et dignitate, sacerdotum et religiosorum; missa *Papae Marcelli*, RR. D. Raphaele Casimiri dirigente, optime decantata; Eminentissimi Cardinalis celebrantis oratio, et Benedictio nomine Summi Pontificis eiusque auctoritate ab eodem Patre purpurato

(1) Vide supra, pp. 162-163.

(2) *"L' Osservatore Romano"* an. 64, n. 113 (14 maggio 1924).

impertita; finis in his solemnibus intentus; admirabile templum Conditoris gloriosi Societatis Iesu memoriae dedicatum; festus dies Beati Roberti Bellarmino simul celebrandus; haec autem omnia, vel in minimis accurate praeparata, non eventum constituunt qui quotidie iteretur hac etiam in alma Urbe, quae tamen religiosarum sollemnitatum magnificentia ceteras universi civitates vincit „.

Absoluta Sancti Evangelii lectione, Em. Cardinalis homiliam legit, quam infra referemus.

Brevitatis causa, statim veniamus ad ea adumbranda quae ad alloquium Pontificale pertinent. In immensa aula "Lapidarii Musaei, densa Episcoporum Praelatorumque multitudo trepida expectatione agitatur. Quibus mox accesserunt plures Emi. Principes sedesque occuparunt dextera sinistraque parte throni, qui in media longissima aula erectus erat. Praenuntiatur tandem Sua Sanctitas cantu "Oremus pro Pontifice „. Cantorum autem voces vix audiuntur propter validiorem strepitum plausuum undequaque erumpentium. Postquam vero omnes suos dilectissimos filios ordine stantes Summus Pontifex subridens et benedicens salutasset, thronumque suum occupasset, Pater Noster ad Illum orationem habuit, quae inferius exhibetur.

Quibus peractis, candidatus ad theologicam lauream R. D. Alfredus Ancel, e Gallico Seminario, cum R. P. Carolo Miccinelli, Universitatis Gregorianae Rectore, ad pedes Christi Vicarii se prostravit, ut ab Eo, antequam suae doctrinae periculum faceret, benediceretur.

Em. Card. Ludovicus Billot primus candidati scientiam exploravit, cum eo disputans de Sanctissimo Sacramento et nominatim de "Esse Christi in Sacramento „. Iuvenis primum, ut par est, tantisper commotus, mox tamen plene sui compos factus, interrogationibus verbis ita exactis, paucis, technicis satisfecit, ut doctissimi inquisitoris vestigiis omnino insisteret.

Em. Card. Camillus Laurenti postea surrexit, rogaturus de Primatu Petri. Iucundissimum quidem auditu fuit illud acerrimum quasi duellum, in quo insidiosi perceleresque impetus, sine mora peritissime fracti, profundam utriusque adversarii scientiam declarabant.

Ultimus autem Em. Card. Aloisius Sincero assurgit, theologiae studiosum perscrutaturus; difficultates circa mysterium Sanctissimae Trinitatis proponit. Ardua illa quaestio Emo. Principi occasionem praebet rogandi ea quae hominem, usu scholasticae

minus exercitatum, in tales angustias redegissent, ut ex eis se expedire perperam conatus esset. Reverendus autem D. Ancel, repressa prima quadam haesitatione, perbelle respondit atque eo singulis angustiis felicem egressum invenit. Adspici poterant candidati animi motus in magistrorum mobili facie quasi depingi et reproduci; mirum sane spectaculum, praesertim quando aliqua obscurior quaestio clarissima luce illuminabatur, quod quidem plerumque contigit.

His autem disputationibus fine imposito, Beatissimus Pater Pius PP. XI orationem mox afferendam pronuntiavit, quam multiplici plausu saepius prosecuti sunt auditores. Sed simul cum Summi Pontificis verbis iuvabit illum Universitatis hymnum, de quo in responsione sua Beatissimus Pater mentionem facit, hic referre, quem alumni non semel illis diebus perbelle cecinerunt, cum in templo S. Ignatii, tum etiam in fine pontificiae Audientiae. Carminis auctor fuerat P. Alphonsus Cásoli (Prov. Ven.), illudque musicis numeris ornavit P. Aloisius Camattari (Prov. Rom.).

Hymnus Pontificiae Universitatis Gregorianae.

SCHOLA

Quot dissitis de gentibus
phalanx sacrata cogimur,
tot, alma Roma, suscipis
parens, magistra, patria.

CHORUS

Adest, probante Virgine,
clientulis Ignatius,
cum caelicis sodalibus
Ioanne et Aloisio.

SCHOLA

Hic veritatis indui
armis docemur optimis;
hic ficta inimus proelia
Ducis sub ora Maximi.

CHORUS

Adest etc.

SCHOLA

Mox quisque, cinctus laurea
fines revisens proprios,
dux ipse in hostem milites
coget trahetque strenuus.

CHORUS

Adest etc.

SCHOLA

O Roma, at usque mentibus
versaberis dulcissima;
erisque semper omnium
parens, magistra, patria!

CHORUS ET SCHOLA

O Roma, etc.

Homilia Emi. Card. Merry del Val

(13 maii 1924)

Leva in circuitu oculos tuos, et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi... Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel (Is. 49, 18 - Ps. 127, 7). Queste gioconde parole d' invito e d' augurio, pronunciate sotto l' enfasi della divina ispirazione dal Profeta Isaia e dal Salmista avanti alla visione dei trionfi della Chiesa di Cristo, mi sembrano singolarmente acconce alla odierna commemorazione centenaria della restituzione dell'Ateneo Gregoriano alla benemerita Compagnia di Gesù; possiamo quindi nella dovuta misura applicarle alla solenne ricorrenza che oggi festeggiamo in questo maestoso tempio di S. Ignazio di Loyola, all' ombra dell'antico edificio del Collegio Romano. Sono più di tre secoli dacchè, attraverso vicende spesso irradiate dalla letizia più pura, altre volte oscurate da intenso dolore, questo Istituto, fondato dal Pontefice Gregorio XIII, ed affidato alla direzione sapiente dei Padri della inclita Compagnia di Gesù, prosegue felicemente la sua sublime missione ed estende nel mondo intero la sua opera benefica, dando ai suoi innumerevoli alunni, di ogni stirpe e di ogni nazione, il tesoro della vera dottrina, e preparandoli a divenire, nelle diverse loro mansioni, araldi della Fede Cattolica, sacerdoti colti ed esemplari, difensori validi della Chiesa, servitori fedeli della Sede di S. Pietro.

Translatio latina:

Leva in circuitu oculos tuos, et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi... Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. (Is. 49, 18 — Ps. 127, 7).

Haec laeta exhortationis et augurii verba, quae, afflante divina inspiratione, ante visionem Christi et Ecclesiae gloriose triumphantis, ab Isaia propheta et Psalmista sunt enuntiata, hodiernae commemorationi centesimi anni, ex quo Gregorianum Athenaeum bene meritae Societati Iesu fuit restitutum, mirabiliter convenire videntur. Propterea, iusta quidem adhibita moderatione, in augustum anniversarium diem quem hodie, in hoc Sancti Ignatii Loyolaei splendido templo, sub umbra antiquarum Romani Collegii aedium, celebramus, illa verba conferre possumus. A saeculis tribus et amplius, per vicissitudines purissima saepius illuminatas laetitia, quandoque tamen gravissimo obscuratas dolore, illud Athenaeum, a Pontifice Gregorio XIII conditum, et Parentis illustris Societatis Iesu sapienti commissum regimini, suo sublimi munere fungi, et verae doctrinae thesauros innumeris suis omni genere et natione alumnis suppeditare non cessat et eos ita informat, ut eorum quisque in domo sua catholicae fidei praeco fiat, sacerdos eximia disciplina et sanctitate, fortissimus Ecclesiae defensor, Sanctique Petri Sedis servus fidelis.

Leva in circuitu oculos tuos, veneranda et fecunda Mater, leva oculos et

Alza all' intorno gli occhi tuoi, o Madre venerata e feconda, alza gli occhi tuoi, e mira! Tutti questi si sono radunati per venire a te, per esaltare oggi il beneficio che da te hanno ricevuto; guarda! e vedrai la schiera di dottori insigni che nelle tue aule hanno insegnato a migliaia e migliaia di giovani studiosi le bellezze delle divine verità; guarda! e vedrai la moltitudine immensa dei tuoi discepoli, sparsi in tutte le nazioni; sono essi umili operai della mistica vigna del Signore, sono potenti scrittori, sono valenti banditori della parola di Dio, intrepidi missionari in terre lontane, zelanti pastori di anime, Prelati eminenti e Pontefici insigni; ma sopratutto guarda! ed esulta vedendo gli eroi della virtù cristiana, i Santi ed i Martiri, che sono usciti dal suo seno e che dall' alto dei Cieli benedicono il tuo nome ed intercedono per te avanti al trono immacolato del Dio tre volte Santo.

Coll' incoraggiamento e con la speciale benedizione del regnante Pontefice Pio XI, vanto anch' Egli del Gregoriano Istituto, noi esultiamo, fratelli dilettissimi, sì, noi esultiamo per il privilegio di essere figli di tanta Madre e ne lodiamo il Signore, perchè a Lui soltanto appartiene la gloria dell' opera da essa compiuta, a Lui solo lo splendore e l' efficacia dei frutti copiosi che lungo il cammino secolare sono stati raccolti e tuttora si vanno raccogliendo: « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam ».

Ed è perciò che in questa fausta centenaria ricorrenza sentiamo

---

mirare! Omnes isti congregati sunt, ut venirent ad te, ut quae a te beneficia acceperunt, hodie exaltarent; aspice! et agmen videbis insignium doctorum, qui divinae veritatis pulchritudinem sexentos et sexentos iuvenes, in aulis tuis, docuerunt; aspice! et immensam tuorum videbis discipulorum multitudinem, in omnes nationes dispersam; quorum alii humiles sunt in mystica Domini vinea operarii, alii graves auctoritate doctores, alii potentes Verbi Dei praecones, in longinquis alii regionibus intrepidi missionarii, alii animarum studiosi pastores, Praesules alii eminentes insignesque Pontifices, sed cumprimis aspice! et exsulta! christianae virtutis heroas videndo, Sanctos et Martyres, e tuo qui orti sunt sinu tuoque nomini ex altissimo Caelo benedicunt et pro te, coram immaculato throno ter Sancti Dei, deprecantur.

Incitante hodierno Pontifice Pio XI — qui est et ipse Gregorianae Palaestrae ornamentum (1) — illoque speciatim benedicente, laetamur hoc privilegio, quod scilicet et nos quoque, tantam Matrem habeamus atque Dominum laudamus, Deo enim soli, gloria debetur operis ab ea confecti, Ipsi soli, splendor et efficacitas fructuum, qui per saecularem viam percepti sunt eximii, neque dum

(1) Summi Pontifices olim alumni Gregorianae Universitatis duodecim numerantur: Gregorius XV, Urbanus VIII, Innocens X, Clemens IX, Clemens X, Innocens XII, Clemens XI Innocens XIII, Clemens XII, Leo XIII, Benedictus XV, Pius XI.

i nostri cuori riboccanti di gioia, e prostrati ai piedi dell' altare sciogliamo l' inno della nostra gratitudine; e mentre alla nostra voce rispondono in coro dalle loro tombe silenziose tutti coloro che ci hanno preceduti, gettando le nostre corone dinanzi al trono di Dio, ripetiamo il canto del Paradiso; « Dignus es, Domine, Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem; quia tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant et creata sunt ».

Troppo arduo sarebbe il volere ricordare tutti coloro che per potenza d' ingegno e per eccelsa virtù hanno illustrato il Collegio Romano e l' Università Gregoriana ed hanno onorato la Chiesa con le loro opere preclare, anche durante l' ultimo secolo della sua esistenza; ma è doveroso per noi commemorare uno dei più eminenti dottori di questo Ateneo e del quale il Sommo Pontefice ha proclamato recentemente la virtù eroica, annoverandolo nell'albo dei Beati, Roberto Bellarmino.

Con felice pensiero si è voluto fissare la celebrazione di questo Centenario nel giorno in cui festeggiamo quell' illustre campione della Fede cattolica, in questa Chiesa, qui dove riposano le sue sacre spoglie, presso il santuario del suo angelico discepolo, S. Luigi Gonzaga. Dotto fra i dotti del suo tempo, il Beato Bellarmino è una delle glorie più pure del Collegio Romano; ed ecco che ai giorni nostri sorge con nuova aureola — avanti ai nostri sguardi — la maestosa figura di quel grande Maestro, per manifestare ancora una volta ai più increduli che

---

progredimur confiteri cessamus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Ideoque, auspicatissimo hodierno centesimo anniversario, animus noster gaudio repletur, et, ad altaris pedes prostrati, gratiarum actionis carmen canimus, et dum nostrae voci respondent, silentibus e sepulchris, omnes qui nos praecesserunt, proiicientes coronas nostras coram Dei throno, paradisi carmen iteramus: *Dignus es, Domine, Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem; quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.*

Difficilius quidem esset memoriam revocare eorum omnium, qui, et vi ingenii et virtutis excellentia, Collegium Romanum Universitatemque Gregorianam illustrarunt, atque Ecclesiae, sua praeclara opera, hoc etiam ultimo Collegii existentiae saeculo decurrente, ornamento fuerunt. Unius tamen eminentissimi inter huius Palaestrae doctores mentionen facere debeo, Roberti scilicet Bellarmini, cuius Summus Pontifex, illum libro Beatorum adscribendo, heroicam virtutem proclamavit.

Feliciter quidem fuit statutum, ut celebratio huius centenarii eo die locum haberet, quo illum fidei catholicae illustrem celebraremus propugnatorem, idque in hoc templo, ubi eius sacrae reliquiae repositae sunt, iuxta eius angelici discipuli, Aloisii Gonzaga, sanctuarium. Doctus enim inter suae aetatis doctores,

la Fede rivelata, lungi dal trovarsi in conflitto con la vera scienza, la innalza mirabilmente, e che la Chiesa di Cristo accoglie ed incorona tutti coloro i quali, conoscendo le limitazioni dell' umano sapere, non si lasciano accecare da folle orgoglio, ma si servono del dono che Iddio loro concede per proclamare la gloria della sapienza divina e della eterna ed immutabile verità. Si cercherà invano nelle sacre carte una parola di condanna per la scienza in sè stessa; nè gli Apostoli, nè gli altri banditori del Vangelo si sono mai opposti alla ricerca ansiosa dei fatti e dei fenomeni che ci si presentano nel mondo in cui viviamo, ma hanno elevato energicamente la loro voce ammonitrice di condanna e di biasimo contro certi sapienti della terra, non perchè sapienti, ma bensì perchè essi fanno uso delle loro conoscenze, sia per disprezzare la sapienza infinitamente maggiore e di ordine soprannaturale, sia per alzare la mano sacrilega e toccare un'arca santa non affidata alla loro custodia, nè soggetta ai loro metodi fallaci e necessariamente inadeguati,

Chi possiede il prezioso dono della Fede e s' inchina al magistero infallibile della Chiesa, segue senza turbarsi il progresso indiscutibile del sapere umano e le sue ardite investigazioni. E quando i nemici di Dio, o coloro che Lo ignorano, abbagliati da qualche nuova ipotesi esibita come certa conquista, pretendono che il credente rinunci senza altro o modifichi la dottrina rivelata e gl' insegnamenti della Chiesa, egli attende con serenità imperturbata, con la sicurezza che i nuovi

---

Beatus Bellarminus eminet inter Collegii Romani clarissimos viros, et ecce ante oculos, nostris diebus, illius magni Magistri augusta persona in novo splendore erigitur, ut iterum, maxime incredulis, ostendetur tantum abesse ut catholica Fides a vera scientia dissidat, ut eam e contra mirabiliter extollat, atque Ecclesiam Christi admittere et coronare omnes, qui, humani ingenii imbecillitatem cognoscentes, se insana superbia excoecari non sinunt, sed potius ad illum finem quae dona a Deo acceperunt conferunt ut divinae sapientiae aeternaeque et immutabilis veritatis gloriam prosequantur. Perperam autem quis quaereret, in sacris Litteris, unum verbum, quod ipsam scientiam condemnaret. Neque apostoli, neque alii Evangelii proecones, unquam aegre tulerunt studiosam inquisitionem factorum et phenomenorum, quae, in quo mundo vivimus, nostris sese oculis obiiciunt. Ast vocem strenuam emiserunt ut admonerent, ut condemnarent et vituperarent quosdam terrae sapientes, non quia sapientes erant, sed propterea quod sua scientia ad hunc finem utebantur ut et de multo praestantiore Dei scientia, et de supernaturali ordine detraherent, atque sacrilega manu illam arcam tangerent, quae neque eorum curis fuit commissa, neque eorum fallacibus et necessario mancis disciplinis fuit subiecta.

Quicumque pretioso fidei dono gaudet, et Ecclesiae infallibili magisterio se submittit, quieto animo progressus observat minime dubios humanae scientiae eiusque ardentes inquisitiones. Et cum qui Deum oderunt vel ignorant, quavis nova hipothesi, quam firmiter stabilitam existimant, allecti, fideles constringunt

postulati ben presto si spoglieranno di tutto ciò che a prima vista si manifestava contrario alla Fede, o non tarderanno ad essere rigettati dagli stessi autori, andando fra breve ad aumentare la mole già immensa di false teorie che registra la storia delle umane ricerche, simili ai ruderi disseminati lungo le vie della Roma antica, quasi per ricordare al pellegrino le limitazioni del nostro intelletto e la caducità delle cose terrene. Di tali sapienti parlava il Profeta Geremia allorchè esclamava: « Confusi sunt sapientes et perterriti et capti sunt; verbum enim Domini proiecerunt et sapientia nulla est in eis » (Ier., 8, 9).

Contro le eresie micidiali del suo tempo il Beato Bellarmino fu lottatore invitto e temuto; e possiamo ritenere per certo che se Iddio ha voluto ritardare fino ai giorni nostri la glorificazione definitiva di questo Paladino insigne della Chiesa Cattolica, ciò ha voluto per meglio additarlo a noi come esempio da seguire nel combattere gli errori, vecchi e nuovi, che abbiamo da affrontare all' epoca presente.

È naturale della eresia, scrive l'Angelico, di sostituire le proprie opinioni alla dottrina dataci da Cristo: « non elegit ea quae sunt a Christo vere tradita, sed ea quae sibi propria mens suggerit ». Non diversamente si deve dire degli innovatori dei nostri tempi, che vanno dappertutto propagando con baldanza gli errori più nefasti ed i principii più deleteri per sostituirli alla verità rivelata. Piuttosto che assoggettare la mente al magistero divino, si accettano frettolosamente le

---

ad fidem simpliciter abdicandam, aut revelatam doctrinam Ecclesiaeque documenta mutanda, ille tranquilla serenitate expectat. Pro certo enim habet recentioris scientiae hypotheses ab omnibus quae prima facie fidei contraria videbantur brevi spoliatas, ab ipsis earum auctoribus reiectum iri, ita ut iam immensa amplificetur moles falsarum rationum scholarumque, quas humanarum inquisitionum complectitur historia — ruinarum instar per antiquae Romae vias dispersarum, ut si in memoriam viatorum revocare vellent nostram mentem limitatam esse, terrenasque res caducas. De huius generis sapientibus Ieremia propheta loquebatur exclamans: *Confusi sunt sapientes et perterriti, et capti sunt*; *verbum enim Domini proiecerunt et sapientia nulla est in eis* (Ier., 8, 9).

Contra mortiferos suae aetatis errores invictus et formidolosus pugnator fuit Beatus Bellarminus, et pro certo habere possumus, ideo Deum, ad nostra usque tempora, illius Catholicae Ecclesiae propugnatoris insignis publicam gloriam retardare voluisse, ut eum melius indicaret esse exemplum quod sequi debemus in antiquos recentesve propugnandos errores, quibuscum hoc nostro tempore nobis luctandum est.

De natura est hereseos, scripsit Angelicus, ut propriam sententiam a Christo probatae doctrinae substituat " non elegit ea quae sunt a Christo revera tradita, sed ea quae sibi mens propria suggerit „. Non secus dicendum est de hodiernis novatoribus, qui ubique scelestissimos errores audacter propagant et funestissima principia, in locum revelatae veritatis sufficiunt. Potius quam men-

dottrine insostenibili di qualsiasi docente irresponsabile, purchè egli rinneghi il passato e metta in disparte l' ordine soprannaturale. Ogni oscillazione del pensiero viene subito proclamata progresso, e barcollando nel buio dei sofismi più speciosi, gli attuali innovatori nulla edificano dove tutto hanno distrutto, sollevando problemi che sono incapaci di sciogliere. Ora sono le aberrazioni di una filosofia senza base che abbandona gli immutabili principii di ogni vero raziocinio, turba le menti e le lascia smarrite nel dubbio perpetuo ed esasperante: ora sono gli sforzi irriverenti e capricciosi di una nuova esegesi, con la quale si pretenderebbe di trovare in fallo le Sacre Scritture, o per lo meno interpretarle alla stregua di un libro profano, ora sono le tristi deviazioni di una morale corruttrice che tutto giustifica, purchè accarezzi le passioni e sopprima le sanzioni; ed ora sono i sogni di un fantastico misticismo di mero sentimento e non di rado prettamente sensuale.

Sorgano pure nuovi difensori della verità in tutti i campi dello scibile, e seguendo le orme del grande Maestro, il Beato Bellarmino, sappiano dissipare le tenebre dell' errore con la potenza dell' ingegno e con la profondità dei loro studi, sappiano illustrare luminosamente la dottrina immutabile, perchè sempre vera, della Chiesa di Cristo, ed in pari tempo cooperare strenuamente alla salvezza delle anime con l'esempio edificante della loro virtù. Siano dotti, ma anzitutto siano

---

tem divino magisterio submittant, quam primum accipere malunt cuiusvis docentis leviter, improbabilem doctrinam, dummodo antiquis contradicat, ordinemque supernaturalem reiiciat. Quaecumque doctrinarum fluctuatio, progressus statim nuncupatur, et hodierni novatores, in nocte maxime speciosorum sophismatum vacillantes, problemata, ab ipsis agitata, solvendo impares, ubi omnia destruxerunt, ibi nihil aedificant. Nunc adsunt aberrationes omni basi expertis philosophiae, quae, principiis omnis veri ratiocinii derelictis, mentes perturbat, easque sine spe errare sinit in dubiis sempiternis; nunc adsunt petulantes mobilesque conatus recentioris exegeseos, quae errores in Sacris litteris invenisse gloriatur aut saltem eas libri profani instar interpretari contendit; nunc adsunt tristes deflexiones corruptricis moralis philosophiae, quae, eo ipso quod cupiditatibus blanditur sanctionesque e medio tollit, omnia recta iustaque esse affirmat; nunc adsunt commenticii mysticismi somnia, quae tot, quot numerantur, e passionibus, nec raro e solis cupiditatibus, orta sunt.

Assurgant igitur, in omnibus scientiae campis, novi defensores veritatis, magni Magistri Beati Bellarmini regulis utentes, et sui ingenii virtute et sapientiae altitudine, tenebras erroris dissipare valentes; Christi Ecclesiae doctrinam immutabilem, quippe quae vera est, clarissima luce illustrent, et simul optimo suae sanctitatis exemplo, strenue in salvandis animis laborent. Docti sint, in primis autem sint sancti: *qui ad iustitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

santi; « qui ad iustitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates ».

E voi, o giovani alunni della Pontificia Università Gregoriana, che vi disponete ad assumere la missione che Iddio vi ha assegnato, voi che siete la speranza della Chiesa, ricordatevi di essere gli eredi di un passato glorioso, ricordatevi che v' incombe il dovere di tenere alto l' onore del nostro Ateneo, ricordatevi di conservarne le migliori tradizioni. Senza lasciarvi fuorviare dalle novità cangianti e dallo spirito irrequieto dei tempi, applicatevi in modo speciale con fervore e con slancio all' acquisto della scienza fondamentale filosofica e teologica, che vi preserverà, con la grazia di Dio, dal pericolo di smarrire il retto sentiero e vi sarà guida sicura nel proseguimento dei vostri studi e nella lotta contro gli assalti insidiosi degli avversari della nostra Fede.

Ma sopratutto implorate da Dio la sapienza di cui Egli è la sorgente infinita. Felici voi se potete fare vostre le parole del Savio: « Optavi et datus est mihi sensus; et invocavi et venit in me spiritus sapientiae, et praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius » (Sap. 7).

Voi, cari giovani, siete chiamati a ricevere l' unzione dell' eterno sacerdozio: « Vos autem sacerdotes Domini vocabimini », ed avrete da esercitare un apostolato sublime « vocationis caelestis participes ». Sono tanti i luoghi da lungo tempo deserti che siete invitati a fecondare di

---

Vos autem, Pontificiae Gregorianae Universitatis alumni, officium quod Deus vobis committet iam accepturi, vos, spes Ecclesiae, memores estote gloriosorum vos esse heredes progenitorum, memores estote nostri Athenaei laudem tuendi officium vobis incumbere, memores estote optimos antiquos mores servare. Variis novitatibus, inquietisve nostrorum temporum animis, vos a recta via deferri ne siveritis, sed potius, cum fervore et alacritate, studeatis imprimis omnium primae scientiae philosophicae scilicet et theologicae comparandae, quae, Dei gratia iuvante, contra periculum rectam viam derelinquendi, vos defendet, et dux erit vobis secura cum ad studia prosequenda, tum ad insidiosos nostrae fidei adversariorum impetus repellendos. Sed a Deo praesertim impetrate sapientiam, cuius Ipse fons est infinitus. Beati, si vestra facere poteritis verba Sapientis: *Optavi et datus est mihi sensus*; *et invocavi et venit in me spiritus sapientiae*, *et praeposui illam regnis et sedibus*, *et divitias nihil esse duxi in comparatione illius* (Sap. 7).

Electi estis ad aeterni sacerdotii unctionem: *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini*, et sublimem apostolatum accipietis exercendum: *vocationis caelestis participes.* Tot sunt terrae iamdudum derelictae, quas ut salubri divinae gratiae aqua denuo fecundetis rogamini. Tot sunt ruinae ab erroris et vitiorum turbine profluentes; vestrum est regni Christi pulchritudinem iterum instaurare et restituere. Domino placeat, ut dicta sancti Prophetae vobis vere con-

nuovo con le acque salutari della grazia divina; sono tante le rovine intellettuali e morali causate dal turbine dell' errore e del vizio; a voi il compito di rialzare e restaurare le bellezze del regno di Cristo. Piaccia al Signore che di voi si avveri il vaticinio del santo Profeta: « Et aedificabunt deserta a saeculo et ruinas antiquas erigent et instaurabunt civitates desertas ».

Per l' intercessione della Madre nostra la Vergine Maria, scenda copiosa la benedizione di Dio, sopra l' Università Gregoriana, affinchè essa, seguendo sempre le vestigia del tradizionale splendore, possa validamente continuare la sua opera salutare a vantaggio del Clero di tutte le nazioni, e vegga succedersi sempre più numerose le nuove generazioni dei suoi figli fedeli e devoti. « Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel ».

O Cuore SS.mo di Gesù! accogliete i nostri fervidi voti e benedite l' augurio che noi tutti facciamo per il prospero avvenire della Università Gregoriana, nella odierna festosa ricorrenza centenaria che allieta tutti i suoi figli, vicini e lontani: « Haec est dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea ».

---

veniant: *Et aedificabunt deserta a saeculo, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas.*

Deprecante Matre nostra Virgine Maria, descendat in Gregorianam Universitatem copiosa Dei benedictio, ut, antiqua splendoris vestigia premens, in commodum omnium nationum Cleri, opus suum salutare fortiter prosequi possit, novasque fidelium et magnanimorum filiorum generationes semper frequentiores sibi vicissim succedere contempletur. *Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.*

O Sanctissimum Cor Iesu, fervida nostra desideria benigne suscipe, et votis benedic quae facimus pro futura felici sorte Universitatis in hac festiva saeculari commemoratione, quae omnibus sive proximis, sive longinquis eius filiis laetitiam affert: *Haec est dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea.*

Oratio Patris Nostri ad Summum Pontificem

(17 maii 1924).

Beatissimo Padre,

Un secolo fa, in questo stesso giorno, il Vostro Predecessore Leone XII di f. m., coll'affidare nuovamente alle nostre cure il Collegio Romano, riempiva di santa letizia la Compagnia di Gesù, da pochi anni risorta a nuova vita; e ricordando gli ubertosi frutti che quell'istituto aveva prodotto nel passato, l'Augusto Pontefice augurava che non minori ne producesse per l'avvenire.

Voi, Beatissimo Padre, il cui venerato nome, accanto a quelli di Leone XIII e Benedetto XV, il Pontificio Ateneo Gregoriano registra come gloria fulgidissima nell'albo dei suoi alunni, onorando oggi e quasi consacrando con la Vostra sovrana presenza la centenaria commemorazione di tale faustissima data, venite a confermare l'atto di Leone XII e insieme sembra vogliate attestare che i voti di Lui sono stati dalla divina bontà esauditi. E che sia così, ce ne porge sicuro indizio il favore e la benevolenza tutta singolare che i Sommi Pontefici, e in modo speciale la Santità Vostra, si sono degnati sempre accordare a quell'Ateneo; — ce ne danno consolante argomento e la presenza di questi Eminentissimi Principi ed Eccellentissimi Presuli e Pre-

---

Translatio latina:

Beatissime Pater,

Saeculum effluxit ex quo, hac ipsa recurrente die, Leo XII Praedecessor Vester f. m., cum Collegium Romanum nostrae curae denuo committeret, Societatem Iesu, ad novam vitam ante paucis annis revocatam, sancta laetitia implevit; cum autem uberum fructuum, quos tempore praeterito Collegium produxerat, memoriam faceret, non pauciores fructus augurabatur Augustus Pontifex in futurum editurum esse.

Hac vero die, o Beatissime Pater, cuius venerandum nomen, non secus ac Leonis XIII et Benedicti XV, in suorum alumnorum libro maxima cum gloria Pontificale Collegium adscripsit, cum illius faustissimi eventus commemorationem suprema Vestra praesentia, amplificetis, et ut ita dicam, consecretis, in hunc finem advenitis, ut Leonis XII actum confirmetis, et simul — res enim sic se habere videntur — ut attestemini Eius vota a divina bonitate fuisse exaudita. Quod autem res vere ita sunt, certissimum praebet indicium favor et benevolentia omnino singularis, qua illud Athaeneum Summi Pontifices et Sanctitas Vestra eximio, ut solet, modo semper dignati sunt amplecti; — firmissimum etiam constituunt argumentum illi adstantes Eminentissimi Principes, Praesules, et Praelati Excellentissimi, Gregorianae Universitatis quondam alumni, nunc autem decus et ornamentum; — idem arguunt venerabilium Ordinum, Congregationum, Collegiorum et Institutorum Superiores Reverendissimi, apud quos in ea gratia fuimus, ut suos alumnos nobis committerent; – idem conficit priscorum gratissima disci-

lati, un dì alunni, ora decoro dell'Università Gregoriana; — e l'intervento dei Rev.mi Superiori di venerandi Ordini, Congregazioni, Collegi e Istituti che si compiacciono ivi affidarci i loro allievi, — e la grata corona degli ex-alunni qui convenuti, che o qui in Roma o altrove per il mondo si consacrano con tanto zelo alla causa di Dio e delle anime; — e infine la variopinta moltitudine di questi carissimi giovani del clero secolare e regolare, nei quali vediamo con intima esultanza tante future speranze della Chiesa. Poichè eletti come fiori fra i migliori chierici dell'orbe cattolico, qua essi convengono per formarsi alla santità e fornirsi di scienza, e poi, divenuti apostoli, ne ripartono anelanti di spargere nel mondo quello spirito di Sacra Romanità che qui hanno largamente attinto.

Con gioia profonda ma non senza trepidazione per la gravissima responsabilità che ci incombe, noi vediamo questo Pontificio Ateneo, alle nostre deboli forze affidato, prendere ogni anno più vaste proporzioni e per le nuove cattedre che i tempi esigono e per il numero sempre crescente degli alunni. Ci è però di sommo conforto nell'arduo lavoro il sapere che quest'opera è sotto la speciale protezione e direzione della Santità Vostra, la quale ce ne ha date luminose riprove ed ora con nuova munifica provvidenza ha già pensato a sopperire all'imperioso bisogno di una sede più adatta e più ampia; sicchè nutriamo ben fondata speranza di potere in un tempo non troppo lontano porre mano alla non piccola impresa della nuova costruzione.

---

pulorum corona, qui Romae, aliisve in mundi partibus, Dei causam et animarum tam ardenter promovent; – idem denique commonstrat horum carissimorum saecularis regularisque cleri iuvenum multicolor coetus, in quibus, cum intimo gaudio, futuras Ecclesiae spes tantas intuemur. Etenim, ut flores electi inter optimos orbis catholici clericos, ibi conveniunt, ut, seipsos in sanctitatem exercentes scientiaque instructi, hinc tandem, apostoli iam effecti, proficiscantur, ingenti studio ardentes illum sacrum Romanum spiritum ubique dispergendi, quem, his in locis, abundantissime hauserint.

Laetamur quidem intime, quamquam gravissimum muneris nostri momentum nos deterret, cum illud Pontificale Athaeneum, nostris debilibus viribus commissum, tum novis cathedris, temporum exigentiis respondentibus, tum numero semper crescente discipulorum, magis magisque quotannis amplificatum auspiciamus. Quibus in difficillimis laboribus, maximam nobis consolationem affert, quod pro certo habemus, Vestram Sanctitatem sibi protegendum et dirigendum, illud opus suscepisse. Qua de re, clarissime, hisce diebus, mentem suam aperuit cum, ut curator munificentissimus, magis accommodatorum ampliorumque aedificiorum urgenti necessitati consulere iam cogitavit; inde prudenter sperare licet fore ut novae aedificationis non parvum opus mox aggredi possimus.

Omnes igitur, hac hora solemni, Deo in primis, et Vobis etiam, Beatissime Pater, et huic infallibili veritatis cathedrae humillimas summasque gratias ita sincerissimo animo referimus, ut solemniori ritu denuo promittere impellamur, Gre-

Tutto dunque in questo solenne momento ci muove ad umile e profonda gratitudine, dopo Dio, verso di Voi, Beatissimo Padre, e verso codesta infallibile cattedra di verità; e la gratitudine ci spinge a rinnovare solennemente la promessa che l'Università Gregoriana del Collegio Romano con l'immutata tradizione del suo spirito, con prudente adattamento ai bisogni presenti, con inalterata devozione alla Santa Sede continuerà a servire sempre più fedelmente Gesù Cristo e la sua Chiesa.

Beatissimo Padre, nei fasti dell'Università Gregoriana vien ricordato a caratteri d'oro il faustissimo esame dottorale di Diritto canonico, che nella sua aula magna, dinanzi all'eletta ed ammirata scolaresca, sosteneva col più ampio suffragio la Santità Vostra. Nella speranza di far cosa grata al Vostro cuore paterno, rinnovando una palestra che vi richiama memorie di anni quanto più giovani altrettanto felici, umilmente imploriamo Vi degniate consentire che, innanzi alla Vostra augusta presenza, si svolga anche oggi l'esame di un candidato alla laura di teologia, omaggio devoto di tutti questi Vostri figli, presagio delle strenue battaglie che essi anelano combattere per la difesa della Chiesa e del Romano Pontefice.

Ma perchè le nostre speranze vengano esaudite, e le nostre promesse siano efficacemente e generosamente tradotte in atto, devono essere avvalorate dalla benedizione di Dio, auspice della quale è la Benedizione Apostolica: a Voi con filiale devozione la chiediamo, Beatissimo Padre, che siete il suo Vicario in terra.

---

gorianam Romani Collegii Universitatem sicut eius mos fuit semper immutatus, prudenter seipsam nostrae aetatis necessitatibus accommodando, indefessa fide erga Sanctam Sedem, perseveraturam in suis officiis Iesu Christo Eiusque Ecclesiae fidelius in dies praestandis.

In Universitatis Gregorianae fastis, commemoratur, Beatissime Pater, illa in Iure Canonico doctoris laurea quam, admirante delectissima scholari corona, optimo omnium suffragio, in aula magna olim felicissime obtinuit Sanctitas Vestra. Quia vero, si palaestra simili, illi felices anni — eo feliciores quo teneriores — in memoriam revocarentur, id Vestro paterno animo gratissimum fore speravimus, humiliter imploramus, ut per Vos benigne liceat ut unius ad theologicam lauream candidati causa, coram augusta Vestra persona, hodie etiam cognoscatur; quod horum omnium vestrorum filiorum amantissimum obsequium erit simul ac augurium acerrimorum praeliorum, quae ad Sanctam Ecclesiam Romanumque Pontificem defendendum, vehementer inire cupiunt.

Ut vero vota nostra exaudiantur ac promissa nostra re et forti animo exsequamur, divina benedictione confirmentur oportet, cuius auspex erit Apostolica Benedictio, quam a Vobis, Beatissime Pater, his in terris Dei Vicario, filiali animo imploramus.

Allocutio Summi Pontificis

(17 maii 1926).

Ci troviamo nel bello — possiamo dir sublime — imbarazzo sperimentato già dal nostro grande e glorioso antecessore Leone Magno: " di là viene la difficoltà del dire, donde Ci si impone la necessità di parlare „ poichè — o cari, dilettissimi giovani a cui prima e più affettuosa va la Nostra parola — voi non Ci perdonereste se vi congedassimo senza la parola del padre ai figli, a tali figli.

La Nostra parola va a voi, dilettissimo figlio, a voi campione della giornata, campione vittorioso (*uno scroscio di applausi interrompe a questo punto la parola del Papa*) e vittorioso contro tali avversari (*nuovi applausi*) dei quali, e il peso dell'autorità e lo splendore della porpora, la vastità della scienza e l'acutezza della discussione, tutto poteva far tremare anche un cuore è una mente più salda. E noi ringraziamo gli E.mi vostri contradittori i quali, ai quotidiani lavori con i quali Ci prestano nel governo della

---

Translatio latina:

Irretimur pulchro illo, — sublimi, dicere licet, — laqueo, quem eminens et gloriosus decessor Noster Leo Magnus iam expertus est: *Inde dicendi difficultas oritur unde Nobis loquendi necessitas imponitur*. Etenim, o cari, dilectissimi iuvenes, ad quos, maximo cum amore, oratio Nostra dirigitur, si absque ullo paterno verbo filios, tales filios, dimitteremus, Nobis non ignosceretis.

Ad te ergo, dilectissimum filium, ad te Nostra verba diriguntur in primis, hodiernum propugnatorem, victorem utique propugnatorem, talium victorem adversariorum, quorum pondus auctoritatis splendorque purpureus, copia scientiae et disputationis subtilitas, firmiorem etiam et animum et mentem commovere facile poterant. Nos quidem gratias Eminentissimis contradictoribus referimus, qui, quotidianis laboribus, quibus, in Ecclesia gubernanda, tam diligentem quam gratissimam Nobis operam navant, hunc etiam addere voluerunt, ut maiore Caritate veritas illustraretur. Quae quidem non ideo dicimus ut illos ab aliqua apud Sanctum Officium denuntiatione substrahamus, sed ob eam potius causam, ut generosum eorum adiumentum, in intellectuali

Chiesa una cooperazione altrettanto diligente quanto apprezzata, hanno voluto aggiungere questo, al fine di dare più smagliante risalto alla verità. Questo diciamo, non per salvarli da qualche denunzia al Santo Uffizio (*viva ilarità*) ma per esprimere quello che la loro generosa cooperazione a questa bella giornata di spirituale torneo, Ci mette in cuore; spirituale torneo, abbiamo detto, poichè veramente voi, dilettissimo figlio, addestrato alle armi della buona scolastica (grazie a Dio, ancora in onore tra noi e, col suo aiuto, destinata ad esserlo sempre più in avvenire) le avete tutte spiegate nella buona, sicura, salda, limpida norma di questo spirituale combattimento, così fecondo di intimo e nobile diletto. Ecco la Nostra prima parola, troppo dovuta.

Un'altra parola viene a voi innanzi tutto, Preposito Generale della benemerita e gloriosa Compagnia che si chiama dal Nome di Gesù, Nome che contiene la significazione delle promesse delle quali è divino compendio e presagio. Già alunni, — come Ci fu ricordato con pensiero così delicato e — come Ci è dolce ricordare, — già alunni Noi stessi dell'Università Gregoriana, già alunni di tanti e tanti Padri della gloriosa Compagnia, sempre abbiamo seguito con cuore filiale i suoi destini, le sue vicissitudini, i suoi

---

huiusce diei proelio quantum Nostro animo placuerit ostendamus. Intellectuale praelium diximus, recte quidem. Etenim, fili dilectissime, quibus armis eras instructus, bonae scilicet scholasticae — quae, divino beneficio, etiam nunc magni fit apud nos, et in posterum, Deo iuvante, magis magisque semper in honore erit — ea singula perbelle tractasti, huius intellectualis praelii regulis bonis, et solidis, securis limpidisque ita bene servatis, ut re vera Nobis intimae atque nobili voluptati esset. Haec Nostra sunt prima verba, iustum debitum persolutura.

Aliud autem verbum ad te potissimum dirigitur, Praeposite Generalis benemeritae et gloriosae Societatis Nomine Iesu insignitae. Significat illud Nomen promissiones, quarum divinum est compendium et augurium. Olim alumnus sicut ingeniosis Nobisque iucundissimis verbis in memoriam est revocatum — ipsi Nos in Gregoriana Universitate tot illustrissimae Societatis Patrum olim discipulus, eius fata, vicissitudines praeclarosque fructus, animo filiali, semper observavimus. Occulta Providentiae divinae dispositione eo per manum Dei erecti ubi Nos totius Ecclesiae sollicitudo expectabat — totius utique Ecclesiae, si quidem, Divini Pastoris desiderio obsecundantes, unicum

gloriosi successi. Portati, per arcana disposizione della Divina Provvidenza, dalla mano di Dio là dove Ci attendevano le sollecitudini di tutte le Chiese — diciamo tutte le Chiese, perchè il Nostro pensiero va al desiderio del Divino Pastore, va all'unico ovile sotto un unico pastore — è con un nuovo affetto, con un nuovo sentimento che salutiamo i centenari successi della Compagnia di Gesù, e rinnoviamo il ringraziamento per il magnifico gesto che veniva compiuto poco tempo addietro da tutti i Provinciali della Compagnia stessa per assicurare i futuri destini della Gregoriana, per sempre più illuminarla di nuova gloria, sempre più arricchirla di preziosi frutti.

Con tutto il cuore, dunque, Ci associamo alla compiacenza di quanti volgono lo sguardo a considerare i cento anni del glorioso cammino percorso. Perchè il pensiero, giunto a certi momenti, giunto a certi numeri salienti, si volge come per istinto a ricordare, a celebrare le ricorrenze e sopratutto le centenarie ricorrenze? E' il pellegrino che, dopo aver compiuta una tappa del suo cammino, con compiacenza, con giubilo se ne rende conto e ne trae auspicio per il cammino che resta da percorrere. È l'operaio che — come dice il poeta — giunto al vespero, sotto la rovere,

---

ovile sub uno pastore cogitatione nostra amplectimur — novo quidem amore novoque animo, optimos salutamus successus, quibus, per hosce centum annos, Societas Iesu floruit, eidemque gratias iterum agimus de magnifica ratione, qua, paucis ante diebus, omnes huius Societatis Provinciales fecerunt, ut stabiliretur futurus Universitatis Gregorianae Status, et ipsa Universitas splendidiori gloria illustraretur, pretiosisque fructibus magis in dies ditaretur.

Summa ergo voluntate Nostrum facimus gaudium omnium eorum, qui, in gloriosum iter per hos centum annos peractum oculos iniciunt. Quare autem mens nostra, certis quibusdam momentis adhaerens et certis numeris arrepta, et quidem ad centenarias maxime commemorationes celebrandas instinctu sese vertit? Eadem de causa, qua viator, quam partem sui itineris iam confecit, eam libenti animo et laetabundus reminiscitur, et inde viae adhuc percurrendae auspicium sumit. Eadem causa qua operarius, ut apud poetam legitur, vesperascente caelo, sub quercu, mercedem manibus pertractat, et annumerat, ipsumque laborem in praemium convertit aeque ac caeli subrisus, et testimonium, quod ex intima conscientia exsurgit, officii nempe fideliter impleti. Ille

impugna e numera la sua mercede e si fa mercede del lavoro stesso, e si fa mercede del sorriso del cielo, del testimonio che gli viene dall'intima coscienza di un dovere fedelmente compiuto. È qualche cosa di indicibilmente bello in questi sguardi centenari. Non è soltanto dell'aritmetica, dell'arida matematica ma è — come disse un altro poeta — matematica che diventa poesia, è l'epica dei grandi numeri.

Pensate, come possono fare tutti quelli che percorsero la stessa vostra via (e beati voi che la state ancora percorrendo) alla somma di beni che si accumula durante un anno di vita dell'Università Gregoriana. Quanta luce di verità, quanta edificazione di virtù, quanti incitamenti, al bene quanti esempi, quante sante parole, quanti consigli di bontà nello spazio di un solo anno! Lo sappiamo, lo abbiamo veduto con i Nostri occhi. Moltiplicate tutto questo per cento. È una prova altrettanto facile quanto intuitiva, altrettanto semplice quanto eloquente.

Quando poi a quest'ultimo secolo si aggiungano tanti altri che lo precedettero risalendo fino all'umile casa ai piedi del Campidoglio ed ai modesti primi quattordici scolastici che già nel 1591 balzano a duemila, allora lo spettacolo si aderge veramente gigante

---

integri saeculi conspectus aliquid omni loquela sublimius in se habet: arithmeticam scilicet, non aridam quidem, sed, ut alius poeta canit, arithmeticam poesim effectam, ingentium numerorum epicum carmen.

Perpendite, ut facere possunt, qui viam, qua nunc itis, percurrerunt — beatos vero vos, quibus eadem hodie percurritur! — perpendite summam bonorum operum, quae, unico anno Gregorianae Universitatis vitae, accumulantur. Quanta lux veritatis, quanta virtutis aedificatio, quanti ad bonos mores impulsus, quanta exempla, quot sancta verba, quot honestatis consilia intra unius anni spatium! Id Nos non latet, cum oculis nostris viderimus. Quae omnia centies multiplicate. En argumentum tanto facilius simplex, quanto magis oculis obnoxium nec minus eloquens.

Quodsi praeterea, huic ultimo saeculo, tot alia, quae praecesserunt, adduntur, et retro respicimus usque ad angustam illam domum, sub Capitolio sitam, et ad quatuordecim humiles primos discipulos, qui, iam anno 1591, quanto progressu! ad 2000 numerabantur, tunc, ante mentis oculos, magnum surgit spectaculum quod animum simul et pulchritudine delectat et solamine permulcet. Tunc gratiarum carmen *Te Deum* et *Agimus tibi gratias* sponte ex corde ad os

dinnanzi allo spirito, ed è qualche cosa di supremamente bello e consolante. Allora la parola del ringraziamento, il *Te Deum*, l'*Agimus tibi gratias* vien spontanea dal cuore alle labbra. E Noi vediamo moltiplicate e intensificate le gioie del cammino già percorso, vediamo gli spazi diventare angusti a tanta massa di verità e di bene, e ripetiamo le parole di S. Agostino: *dilatentur spatia charitatis, dilatentur spatia veritatis.*

È perciò che con intimo gaudio e riconoscenza a Dio pensiamo che una nuova sede più ampia e decorosa debba aggiungersi all'antica sede della Gregoriana, sede che felicemente preluda ad un avvenire degno di un tale passato, come di un tale presente.

Ed in verità abbiamo l'auspicio sicuro di un avvenire nel quale sempre più abbondanti saranno nell'Università Gregoriana i frutti di santità, di dottrina, di edificazione. Poichè, o diletto figlio campione della giornata, o E.mi contradittori, o figli tutti amatissimi, da questi Nostri spirituali diletti abbiamo ragione di raccogliere la splendida fiducia nell'avvenire. Oggi infatti, proprio come canta l'inno della vostra Università, alla protezione di Ignazio, di Luigi e di Giovanni, alla protezione carissima di Maria, si aggiunge, dai

---

ascendit. Et Nos gaudia itineris iam confecti multiplicata et maiora fieri videmus, et videmus angustiora iam esse spatia, quae tantam veritatis et boni molem contineant, et illud Sancti Augustini iteramus: *dilatentur spatia caritatis, dilatentur spatia veritatis.*

Ideo, intimo cum gaudio et animo in Deum gratissimo, arbitramur antiquis Gregorianae sedibus novas esse adiungendas et ampliores et ornatiores, quae futuram sortem augnretur dignam felici illa sorte olim et nunc quoque habita.

Et revera certum auspicium pro futuro sunt sanctitatis, doctrinae, et optimi exempli fructus, in Gregoriana Universitate, quotidie copiosiores. Ideo, dilecte fili in huiusce diei praelio propugnator, Eminentissimi oppugnatores, vos omnes amatissimi filii, in his nobis spiritualiter dilectis totam reponimus pro futuro fiduciam. Hodie tandem, ut in Universitatis vestrae carmine canitur, tutelae Sanctorum Ignatii, Aloysii et Ioannis, carissimo etiam Mariae praesidio, aliud accedit patrocinium, e sepulchris nuper apertis exsurgens, duorum nempe Beatorum, Roberti Bellarmini et Andreae Bobolae; qui Beati propugnatores ambo fuerunt scientiae et fidei, fidei et martyrii, magnificae

rinnovati avelli, quella di due Beati, Roberto Bellarmino e Andrea Bobola; due Beati campioni della scienza e della fede, della fede e del martirio, di quella magnifica unione di cose che costituisce i più splendidi fasti che all'umanità redenta dal Sangue Divino sia dato di celebrare. È proprio il caso di dire, col Nostro buon S. Ambrogio: *Praedicavi satis.* Abbiamo ciò che dobbiamo ammirare, ciò che dobbiamo venerare, ciò che dobbiamo imitare; abbiamo detto abbastanza.

Sale dai sepolcri la gran voce che c'invita alla santità. Scende dai cieli aperti dalla mano augusta di Dio la luce che illumina e che continuamente sprona la Nostra fiacchezza a tentare sempre più in alto. Scenda dal Cielo la Benedizione Divina, di cui la Benedizione Nostra vuol essere in questo momento il segno, il pegno.

---

scilicet coniunctionis illarum rerum, quibus splendidissimi constituuntur fasti quos celebrare licet humano generi, Divino Sanguine redempto. Ast vere iam tempus est cum bono nostro Sancto Ambrosio dicendi: *Praedicavi satis.* Hic habemus quod admiremur, quod veneremur, quod imitemur; iam satis diximus.

Erumpit e sepulchris magna vox, quae nos ad sanctitatem adhortatur. Descendit de caelis apertis, de augusta manu Dei, lumen quod nos illustrat, et tardiores Nos perpetuo ad altiora stimulat. Descendat de Caelo Divina Benedictio, cuius Nostra Benedictio, sit et signum et pignus.

II.

DE RECOLLECTIONIBUS SACERDOTUM IN BELGIO HABITIS (1).

Exercitia spiritualia decem dierum ab octo annis clero Belgico proposita fuerunt. Iam septingenti circiter illis disciplinis vacaverunt: aliqui quidem, ut Illustrissimus quidam Episcopus, bis; alii autem presbyteri tribus vicibus interfuerunt.

Nunc vero, quaedam proferre iuvat non de secessu in genere, aut de exercitiis annuis, sed de *Recollectionibus*, quae a Sacerdotibus, sive singulis mensibus, sive potius trimestribus peraguntur.

Nonnunquam Recollectio instituitur ab ipso Parocho qui, convocatis aliquibus confratribus et Sanctissimo exposito, spiritualem librum legit, instituitque praeparationem ad mortem et examen conscientiae. Sic in vico Musson, Nandrin.

Multi Religiosi Recollectiones praedicandi munere funguntur, praecipue vero PP. Ordinis Praedicatorum, PP. Sancti Benedicti, Canonici Sancti Norberti, PP. Sanctissimi Redemptoris, PP. Trappistae, FF. Minores, FF. Minores Cappuccini.

PP. Societatis Iesu: aliqui in una alterave civitate, aliquis in novem urbibus dioecesis Tornacensis (Tournai), alter in octo urbibus dioecesis Brugensis, alius in septem urbibus diocesis Mechliniensis (Malines) et provinciae Limburgensis, alius in tribus urbibus diocesis Gandavensis (Gand); alius vero in tredecim urbibus diocesis Leodiensis (Liège). Hic scribit: " Omnes decanatus " Recollectionem habent. Cum mille et ducenti Sacerdotes sint " in ministerio, octingenti regulariter Recollectiones peragunt; " in collegiis vero, ducenti Sacerdotes omnes Recollectionis bene- " ficio fruuntur „.

Placet autem dicere quomodo Illustrissimus et Reverendissimus Episcopus Namurcensis, qui huic Congressui praeest, Recollectiones instituerit, die septima ianuarii anni millesimi nongentesimi undevicesimi. Dioecesim suam distribuit in tredecim loca, quae ita designavit, ut ad illa undique convenire liceret. Quam-

(1) Excerpta ex relatione a P. Georgio Hoornaert (Prov. Belg.) habita in Sessione Sacerdotali Congressus Eucharistici Amstelodamensis (mense augusto 1924).

vis autem in provincia Luxemburgensi sint loca dissita, itinera difficillima, aspera tempestas, nec copia rhedae ferreae, Sacerdotes dioecesis Namurcensis mira florent generositate. Nuperrime, in oppido, a quo viginti Sacerdotes duabus leucis distabant, omnes aderant, duobus exceptis.

Parochus pagi Warnach nequit Recollectioni Arlunensi interesse, nisi ope illius rhedae quae, hora quinta mane, proficiscitur a vico Martelange. Sed inter domum et rhedam illam iter unius horae interiacet. Quo fit ut, hora quarta mane, Parochus debeat iam et missam celebrasse, et actioni gratiarum vacasse et ientaculum sumpsisse; tunc vero iter unius horae suscipiat necesse est, ut tempestive adveniat.

Recollectiones tam generoso animo Sacerdotes frequentant, ut non defuerint qui, hora tertia surgentes, quindecim kilometra, frigidissimo hiemis tempore, pedites percurrerent; nec minore erga Deum liberalitate, senex venerandus 80 annorum, viam unius leucae eodem modo peregit.

Anno praeterito, adfuerunt Sacerdotes (non unice, sed maxima ex parte, dioecesis Namurcensis):

1° trimestri: nongenti et unus;

2° „ : nongenti et quatuor;

3° „ : nongenti et triginta quatuor.

Sacerdotes autem sic concurrunt *sponte*, Episcopo non imperante, sed votum proferente et sic luculenter apparet quali auctoritate polleat, quali amore colatur.

Recollectiones ibi traduntur ubi pro adiunctis commodius fieri potest: sive in schola aliqua, sive in monasterio religiosarum (Ciney, Bertrix, Vielsalm); sive in monasterio religiosorum (v. g. Grimberghen, ubi pro more Praemonstratensis Ordinis, elucet caritas erga Sacerdotes hospites); sive in Seminario (Namurci, Bastogne).

Nullibi concio fit ex cathedra ecclesiae, utpote nimis solemnis, sed praeplacet exhortatio fratris ad fratres, sine oratorio apparatu, simpliciter admodum, coram mensa aliqua, in qua forsitan etiam notae deponi possint.

Generatim prima meditatio incipit hora decima, et finis imponitur hora 11ᵃ; secunda vero, cum examine conscientiae, perdurat ab hora 12ᵃ usque ad horam primam. Hora prima, mensa, in qua lectio fit accommodata meditationibus diei, non tamen theoretica, ut fatigatio praecaveatur, sed aliquatenus grata et fa-

cilis, v. g. vita sancti sacerdotis. Hora tertia, conferentia et laudes Sanctissimi.

Multa sane congeruntur paucis horis, nec secessus dierum aliquot eodem modo proponi posset, cum concionator debeat solum quasi provocare, ipse vero auditor se exercere. At in Recollectione cogimur, prae tempore deficiente, multa accumulare. Viaticum nimium, ut ita dicam, pro die unica, sequentibus diebus Sacerdos iterum assumet et minutim dividet. Insuper Sacerdotes non acciperent tot itineris molestias, et, pro temporis praesentis caritate, expensas haud leves tum prandii tum rhedae ferreae, et totius diei iacturam, si pauca tantum, brevem inquam exhortationem, obtinerent.

Ideoque (ut obiter dicam) Sacerdotes, experientia teste multo maioris faciunt Recollectiones trimestres, in quibus abundanti cibo et copiosa spiritus refectione gaudere licet, quam Recollectiones menstruas, necessario parvulas, quoniam magna incommoda aestimantur imparia tenui et exiguae mercimoniae.

Ne properentur exercitia, in fine diei, si facultas est paulo tardius proficiscendi, ad mentem Conc. Mechlin.: " Recollectio per totum diem, vel maximam diei partem protrahatur„. (N. 246).

Ut liquet, maxime optandum ut perfecte colatur silentium, nam " In silentio Dominus „ et compertum habemus magnos fructus secessus, non minus haberi in perfecta recollectione animi fovenda, quam in concionibus audiendis.

Silentium sic observatur stricte in aliquibus Recollectionibus, septem ni fallor, in quibus ipsa dispositio locorum, aut horti spatium magis favent.

Alibi tamen conceditur brevis recreatio, statim post prandium, ne res duriuscula videatur. Insuper multi ardenter exoptant colloqui, informationes utiles pro paroecia capere, vitam seminarii in memoriam revocare, et beneficio vitae communis per diem frui.

Cum tantae sint utilitates et quidem ordinis spiritualis, ut vitetur sermo clandestinus, salvo meliore iudicio, non ausim, colloquium, saltem ubi viget, improbare.

Pro secessu qui, singulis annis instituitur in Seminario, si excipiantur duae dioeceses, adhibetur lingua latina (1). Quoad

(1) Ad mentem Epist. Pii XI (*Acta Ap. Sed.*, 1 aug. 1922).

Recollectiones vero, usus latini sermonis viget pro diocesi Brugensi, pro Recollectione Mechliniensi, Lovaniensi et Averbodensi.

Alibi autem adhibetur lingua vernacula, i. e. Flandrica, v. g. in conferentia pomeridiana dioecesis Brugensis, in urbibus Anvers, Lierre, Hal, Diest, Hoogstraeten, et in octo Recollectionibus quibus praeest P. Salsmans, lector Theologiae moralis, Lovanii.

Alibi autem lingua gallica utuntur.

Magni refert Sacerdotes, etiam multoties, moneantur, v. g. Directorio, (sicut mos est in aliquibus dioecesibus), periodico religioso, ephemeridibus et praesertim personali quadam schedula, quam Decanus mittere velit, nec citius, nec tardius, i. e., in quantum fieri potest, sabbato ante hebdomadam Recollectionis, ita ut disponantur et nuntientur officia hebdomadae, salva die Recollectionis.

Insuper, operae pretium est conficere et mittere chartulas quae integram seriem Recollectionum indicent. Sic enim Sacerdos qui Recollectionem propriam peragere nequit, videbit utrum forsan aliam vicinam adire possit; Parochus et Vicarius providebunt ne simul ambo absint eadem die, et diversas Recollectionis sedes eligere commode poterunt. Denique tandem haec schedula Recollectionis communicetur monasteriis quae, ad intentionem tanti momenti, preces Deo offerent.

Materia proposita eritne unica pro tota die, aut diversa? Utrimque disputari potest.

Attamen si fastidium vitare et argumenta, diversa prorsus ratione evolvere possumus, rectius videtur rem eamdem intimo penetrare et aliis profunde inculcare. Materia illa sit S^tis^ Sripturis informata, et vere " sacerdotalis „ saltem rationibus et corollariis explanandis; ne sit vero concio quaedam generalis, quae in missionibus laicis proponi solet, et quae modo qualicumque ac (si dicere fas est) " artificiali „ Sacerdotibus accommodatur. Solide et pia simul reperiuntur multa in *Meditationibus* P. Chaignon; in *Regulis Perfectionis sacerdotalis* P. Bouvier; in periodico mensuali *Prêtre et Apôtre*, Parisiis edito, quod exiguo valde pretio venit trium francorum cum dimidio, pro toto anno.

Interest, post Recollectionem, concionatorem ad amussim notare quae dixerit, aut legerit, ne eadem postea repetat. Sacerdotes libentissime excipiunt non solum metaphysica, quae per se, sunt magis nobilia et fecunda, sed etiam practica. Quae igitur spectant illorum ministeria, difficultates, pericula, praestat, ex ca-

ritatis affectu, inquirere, v. g. ab ipsis, vel a Vicario generali, vel ab Episcopo, rogando etiam Ordinarium ut " Monita ad clerum „ communicare dignetur, quo melius innotescant varia desiderata.

Quia Recollectio libere peragitur a Sacerdotibus bonae voluntatis, cum illis agendum est suadendo, non autem recurrendo ad sententiam auctoritativam Ordinarii.

Fiducia et observantia exhibeantur Sacerdotibus, atque benevolentia, non quae aulicas formulas redoleat, sed sine arte et fictione; " discretio „ perfecta, ad normam Instructionis S. Officii (die nona iunii anni millesimi nongentesimi quinti decimi); animos ipsis addamus cum permulti Sacerdotes vel, ruri, solitudine, vel, in urbibus, nimio labore, opprimantur et omnes aerumnis ministerii, difficillimis nostris temporibus, crucientur.

Ipsae conciones ne sint nisi pars aliqua ministerii Recollectionum.

Sit praeterea occasio praestandi varia officia, v. g. accipiendo (si fieri potest) ministeria quae a Sacerdotibus proponantur, scribendo et quidem statim respondendo, si dubia exponantur, affigendo (cum licentia Superiorum) chartam in qua varii referantur fontes, ad quaestiones Conferentiarum tractandas (fontes, inquam, non solutio ipsa), indicando lectiones utiles, nec non editorem et pretium, imo afferendo in Recollectionem libros qui perlegantur. Hoc autem et lectoribus et editori pergratum erit. Caveatur tamen ne idem semper editor commendetur ne ipsi favere, aut fortasse partes in eius commercio habere laudator videatur!

Item, nec libri, nec imagines piae, numismata, etc. sive proprio, sive alieno lucro, exercitantibus vendenda assumamus, vel commendemus emenda.

Practica potius quam generalia indicavi. In re tam gravi, permulta essent dicenda.

Sed finem impono. Liceat votum expromere. Cum Sacerdotes tantum possint ad salutem omnium et sint aliorum motores, Recollectionibus assistere velit, et benedicere dignetur primus omnium Sacerdos, exemplar et praemium Sacerdotum: IESUS CHRISTUS.

III.

CONVENTUS PATRUM

PERIODICIS NOSTRIS ACADEMICIS ADDICTORUM

habitus Amstelodami diebus 23 et 24 iulii 1924.

In Collegio Amstelodamensi Sancti Ignatii (Prov. Neerl.), occasione magni Congressus Eucharistici internationalis, convenerunt moderatores aut redactores praecipuarum ephemeridum nostrarum. Erant autem:

P. Henricus Duurkens, moderator *Studiën* et praeses conventus

P. Iacobus Daly	pro periodico	*The Queen's Work.*
P. Carolus Bricarelli	"	*Civiltà Cattolica.*
P. Franciscus Gaetani	"	" "
P. Henricus du Passage	"	*Études.*
P. Iosephus Boubée	"	"
P. Iosephus Keating	"	*The Mont.*
P. Sigismundus Bernhard	"	*Magyar Kultúra.*
P. Ioannes Urban	"	*Przeglad Powszechny.*
P. Romualdus Moskala	"	" "
P. Hilarion Gil	"	*Razón y Fe.*
P. Henricus Sierp	"	*Stimmen der Zeit.*
P. Constantinus Noppel	"	" " "
P. Alexander Cavadino	"	*Studiën.*
P. Antonius Mulder	"	"
P. Edgarus Hocedez	"	*Nouvelle Revue Théologique.*

Proposita sunt tamquam agenda puncta quae sequuntur:

1. Initium fit conventus.
2. Deliberatio instituitur de Statutis conventus Editorum Periodicorum Academicorum Nostrorum.
3. P. Carolus Bricarelli (vices gerens P. Henrici Rosa, Directoris "Civiltà Cattolica") disserit de variis intentionibus, consiliis, desideriis Romani Pontificis.

4. Incipiendo ab iis, quae anno praeterito hac de re dicta sunt, deliberatur de maiore mutua Directorum et Periodicorum cooperatione. Qui finis ut melius obtineatur, id suadetur, ut in posterum singuli Directores in annuis conventibus brevissimam aliquam dissertationem, de rebus suae regionis scriptam, ceteris offerant.
5. Deliberatio fit de concedendo laicis, ut scribant in nostris periodicis.
6. Omnes interrogantur, quaenam deinceps proponenda vel dicenda habeant.
7. Deliberatur de tempore et loco congressus sequentis.
8. Finis imponitur conventui.

DIES PRIMA.

Ad punctum primum. — Hora tertia initium fit conventus. P. Duurkens, moderator " Studiën ", salutat omnes statimque proponit quae agenda sunt iuxta formam directoribus iam antea transmissam.

Secundum ea quae scribuntur in fine schematis statutorum a P. Sierp conventui propositi, P. Duurkens commendat electionem secretarii conventus e numero assistentium. Omnibus consentientibus tamquam talem nominat P. Noppel.

Communicat P. Duurkens adesse omnes invitatos exceptis patribus Americanis qui fortasse non receperunt litteras invitatorias et P. Connolly " Studies " moderator qui propter causam gravem se excusavit.

Ad punctum secundum. — Deliberatur de statutis conventus editorum periodicorum academicorum nostrorum secundum ea quae scriptis proposuit P. Sierp.

Brevi expositione a P. Sierp facta ad punctum primum expositionis, P. Duurkens enumerat periodica ordine alphabetico quae sibi videntur inter academica recensenda : *America*, *Civiltà Cattolica*, *Études*, *Magyar Kultúra*, *The Month*, *Przeglad Powszechny*, *Razón y Fe*, *Stimmen der Zeit*, *Studiën*, *Studies* : universi decem.

Quaestioni P. Urban de periodicis mere theologicis, item P. Bernhard de apologeticis, utrum sint inter academica inserenda, negative respondetur ne immutetur character conventus. De quibusdam aliis periodicis nempe : *Irish Monthly*, *Revista católica* (El Paso Texas), *Catholic Herald* (Calcutta), *Examiner* (Bombay)

plura disputantur, accedunt tandem omnes sententiae P. Bricarelli, istis solummodo resolutiones et decisiones conventus esse mittendas. Poterunt ipsi tunc petere admissionem anno proximo et interim transmittere periodica sua directoribus in conventu iam congregatis, ut isti possint iudicium e propria scientia ferre. Secundum id quod de istis notum erat, videbantur potius ephemeridibus quam periodicis academicis adnumeranda. Remittitur ergo decisio huius quaestionis conventui proximo.

Quoad cetera puncta statutorum a P. Sierp propositorum, nihil videtur immutandum vel addendum nisi quod ad punctum tertium P. Sierp ipse proponit directorem ex illa regione, in qua conventus habetur, dare lectionem aliquam de statu illius regionis. Omnibus placet, non tamen statutis addendum videtur. Monet praeterea P. Bricarelli ad punctum septimum expressis verbis notandum esse votum decisivum solummodo directoribus periodicorum academicorum convenire. — Ad punctum duodecimum statuitur ne secretarius sumatur e numero directorum.

Ad punctum tertium. — P. Bricarelli, locum tenens Patris Rosa, propter aegritudinis sequelas impediti, explanat desideria Summi Pontificis ante paucos dies ipsi in audientia communicata. SS. Dominus Pius PP. XI praecipue nobis tractandum commisit:

a) de pacificatione animorum inter omnes nationes et classes;

b) de missionibus externis (P. Bricarelli commemorat praesertim expositionem Missionum in Vaticano praeparatam);

c) de unione ecclesiarum in qua materia Beatissimus Pater prae ceteris institit ut dissipentur ex utraque parte malae intentiones et praetensiones. Praesertim scribendo de ritibus populisve orientalibus ut fiat semper cum pietate prudentiaque.

Addit P. Bricarelli statim quaedam quae Pater Noster nuperrime de periodicis nostris academicis enuntiavit. Institit in hoc periodica ista non tam pro clero nec ad devotionem promovendam apta esse debere quam scripta pro laicis, idonea ut in "mundo" propagentur. Praesertim in quaestionibus theologicis et philosophicis quae pro tempore a laicis disputantur, eorum esse claris verbis directionem certam praebere. Enarrat P. Bricarelli quomodo, in penultima audientia Patri Rosa a Benedicto XV concessa, ipse Summus Pontifex Patrem Rosa de numero lectorum "Civiltà Cattolica" quaesierit et addiderit haec fere verba: "Scio conventus et religiosos multos *Civiltà Cattolica* legere, sed

mementote: pro laicis praecipue scribere debetis, praesertim iis qui studiis dant operam".

P. du Passage animadvertit, Patrem Nostrum in sua epistola, ad Praepositos Provinciales de unione ecclesiarum schismaticarum scripta, addidisse comma " non protestantium ". Quaerit num forte per haec verba prohibeatur ne scribatur aliquid de colloquiis inter catholicos et protestantes Angliae habitis. P. Bricarelli sentit comma illud solummodo ad clarius exprimendam sententiam Patris Nostri additum fuisse absque ulla relatione ad colloquia supradicta.

Movent P. Bernhard et P. Urban difficultates quasdam quae oriuntur imprimis ex conversione schismaticorum quoad ritus orientales. Commendat P. Urban valde ut omnes Patres qui de unione scribere debent nec cognoscunt experientia propria laborem istum tam arduum, veniant ad conventus Welehradienses. — Petitur a P. Urban ut procuretur invitatio PP. Directoribus ad conventus supradictos. — Patres e regionibus occidentalibus, uti du Passage et Sierp, aestimant istis regionibus solummodo in genere de quaestione ista scribendum esse. Quod confirmat P. Bricarelli etiam ex mente Summi Pontificis, cum Ipse velit insistere potius in praeparatione animorum quam in rebus ad exsecutionem in particulari pertinentibus.

Ad punctum quartum. — P. Duurkens praelegit quae anno praeterito hac de re dicta sunt.

Proponit relationes in ipso conventu proferri non tamen necessario scriptis. Qua de re hinc inde disputatur. Non videtur schema aliquod posse determinari. Notatur praesertim relationes ampliores desiderari e regionibus quarum lingua nativa paucis tantummodo nota est. Conveniunt omnes in posterum directores relationes breves scriptis moderatori proximi conventus transmissuros et quidem tot exemplaribus et tam mature ut mitti possint ante conventum singulis periodicis. Ea quae huic vel illi tunc adhuc sciri vel magis exponi necessaria videbuntur poterunt in ipso conventu vel saltem occasione eius commode tractari. — Director " Civiltà Cattolica " insuper referat de mente Summi Pontificis.

Hora quinta sessioni finis imponitur. Sessio proxima habebitur die 24 iulii hora decima.

DIES SECUNDA.

Antequam de puncto quinto agendorum disseratur, P. Duurkens proponit desiderium Patris Hocedez ut ad conventum admittatur, quamquam non sit redactor periodici academici sed potius scientifici. P. Sierp, cui consonat P. Bricarelli, non vult Patrem Hocedez admitti tamquam redactorem propter sequelas — eaedem rationes valerent ex. gr. etiam pro Austria; — libenter tamen annuit Patrem Hocedez tamquam personam conventibus semper adesse.

Ad punctum quintum. — De admissione laicorum ad scribendi munus in nostris periodicis, sententiae variae proferuntur. Plures sunt pro admissione, summa tamen cum cautela, ne character periodicorum immutetur. P. Keating communicat sententiam Patris Nostri paulatim loco laicorum patres Societatis esse substituendos. Videtur tamen cooperatio laicorum necessaria :

a) in nationibus et provinciis parvis, ubi impossibile fere est invenire unum ex Nostris qui de omni re scibili scribere possit et velit;

b) pro rebus quae non sint, tam fundamentales, speciatim pro iis rebus, in quibus Nostri generatim non satis possunt esse versati, uti in arte scenica et medicina;

c) manet tamen semper conditio ut omni in tractatu servetur opinio communis Nostrorum.

Omnino excludunt laicos *Razón y Fe* et *Stimmen der Zeit*, quia lectores eorum exspectant sententias Patrum Societatis propter eius doctrinam certam et claram, nec facile laici ibi admitti videntur etiam ad res minoris dumtaxat momenti. E contrario in Gallia, imprimis autem in Hungaria et Polonia, opportunum non esset laicos omnino excludi, quia si Patres tantum collaborarent, periodicum istis in regionibus nimis sacristiam redoleret et characterem quasi exclusive theologico-philosophicum secundum mentem lectorum haberet. In Polonia tamquam regula habetur dimidiam saltem partem fasciculi a Patribus Societatis conscribi. Addit P. Urban etiam Patri Nostro omnino notum esse talem modum procedendi. — In " Civiltà Cattolica " iamdudum laici cooperantur, expressis tamen verbis a responsabilitate directionis periodici eximuntur. " Studiën " admittunt laicos, potius tamen exceptionaliter.

Ad punctum sextum. — *a*) Quaerit P. Sierp an, secundum novum codicem Iuris Canonici, omnis fasciculus periodici, non solum censurae Ordinis, sed etiam Episcopi submittendus sit. Respondet P. Duurkens in Hollandia directori datam esse facultatem exercendi etiam censuram ecclesiasticam. — Quaestio autem, num talis censura secundum novum Ius requiratur, non dirimitur.

b) P. Bernhard movet quaestionem de "annuntiandis" (*Annonce*) acquirendis praesertim e regionibus alienis, item de modo libros ad recensionem obtinendi. Consulitur ut primo liber alicuius editoris ematur et deinde recensio illi mittatur simul cum petitione ut in posterum editiones suae officinae transmittere velit. Altera quaestio solummodo eorum interest qui ipsi editionem periodici curant. Rogantur tamen omnes ut data occasione operam suam praestent.

c) P. Urban desiderat anno proximo circumscribi res politicas de quibus non possumus tractare in periodicis nostris. Placet omnibus, et petit P. Duurkens ut ipse Pater Urban quaedam principia de hac re conventui proximo proponat.

d) P. Sierp breviter indicat quanti momenti "radium" eiusque cultura nobis omnibus futurum sit. Desiderandum videtur ut Pater Noster, uti pro studiis physicis iam fecit, ita etiam pro directoribus periodicorum licentias speciales admittat.

Ad punctum septimum. — P. Boubée proponit Romam tamquam locum proximi conventus et quidem aut mense aprili vel maio aut septembri octobrive. P. Bricarelli communicat Patrem Rosa eiusdem esse sententiae. Consentiunt omnes.

Ad punctum octavum. — Finis imponitur hora 12.ª a R. P. Duurkens qui petit a Patre Bricarelli ut testis sit filialis obsequii et reverentiae conventus apud Summum Pontificem et Patrem Nostrum.

IV.

PRIMUS ITALICUS CONVENTUS

pro Missionibus exteris Societatis Iesu

(28-31 augusti 1924)

Cum nostra ephemeris, quae inscribitur *Le Missioni della Compagnia di Gesù* annum ageret decimum, ex quo primum in lucem prodiit visum est Patribus venetis conventum adiutorum et adiutricum Missionum Societatis e variis Italiae locis indicere. Etenim post decennium spes haud exigua erat fore ut si satis amplus rerum iam gestarum cursus ante omnium oculos brevi obversaretur conspectu, animos percelleret iucundius et ostenderet quae tam feliciter coeptis essent in posterum addenda. Dicta est dies 28 augusti huius anni 1924 ad conveniendum Venetias, et triduo res confecta fuit.

Eo die, ut auspicato initium fieret, Societatis templum conferta multitudo sub vesperum subiit, ubi unum e praeclaris nostris concionatoribus de Missionibus disserentem audivit et divinam Hostiam in ara maxima prostantem supplex adoravit. Pars longe maxima e civibus constabat; sed non deerant viri mulieresque, e proxima continenti Venetias appulsi, ut nostro conventui interessent. Praetereundi silentio non videntur quinque nostri Sodales, e totidem Societatis italicis Provinciis missi, qui Missionum suarum Provinciarum partes agerent.

Conventus quotidie praeside usus est Praeposito Provinciae Venetae. Res aut dono datae aut arte gratuito confectae, quas amici Missionibus destinabant, palam proponebantur in privatis aedibus, quae Seriman nomen habent, a nostris haud longinquis.

Octo nostri oratores e scena verba fecerunt ad selectam auditorum coronam, quorum orationes eo spectarunt, ut modum docerent:

1. consociandi laboribus perpetuas ad Deum preces, maxime vero *Apostolatum Orationis,* ut optavit Benedictus XV quarum rerum coniunctione lumen et gratia ethnicis, Missionariis constantia et virtus certius et cumulatius impetrarentur;

2. spargendi quaquaversus libellos de Missionibus, narrationes, schedulas pictas, et id genus alia sexcenta, praesertim ephemeridem *Le Missioni della Compagnia di Gesù*;

3. colligendi subsidia, sive pecuniam sive suppellectilem sacram et profanam;

4. adsciscendi socios operis adolescentulos, quorum ingenuus animus mirum in modum ad mores civili et christiano homine dignos et ad omnem liberalitatem facile effingitur, si ei scite proponantur missionalis vitae inclitae laudes, sacra proelia, mirae vicissitudines;

5. redimendi ethnicorum pueros ex interitu corporis et animi;

6. officinas vestiarias (Laboratori missionari) singulis in urbibus constituendi, ubi consuerentur indumenta ad sacris operandum et ad neophytos civiliter amiciendos;

7. vocationes comparandi non solum inter nostrates, qui vitam apostolicam amplecterentur, verum etiam inter ipsos exterarum nationum indigenas, qui clerum patrium rite constituerent;

8. necessitudines moderandi, quae intercederent necesse esset inter Missiones Societatis et *Consociationem Missionalem Cleri* aliaque opera pontificia, *a Fide propaganda, a Sancta Infantia, a Sancto Petro*; ut hinc eiusmodi opera, ex desiderio Romani Pontificis, favore prosequeremur, inde vero nostra debito conatu progressuque augerentur. Maximum fuit huius quaestionis momentum: neque enim semel iam accidit, ut florentissimi missionales coetus eorumque officinae magnis in urbibus a Patribus Societatis inchoatae, pro desiderio Episcoporum res communis esset dioecesano operi missionali, ut fructus inter omnes omnium Religionum Missiones distribuerentur.

Ad singulas orationes copia auditoribus facta est interrogandi exponendique quae vellent.

Sed haud parvam admirationem voluptatemque in omnibus excitarunt narrationes, a pueris puellisque et adultis oratorum sermonibus interpositae, tamquam a suarum urbium legatis. Hi nempe quid Patavium (Padova), quid Augusta Taurinorum (Torino), Bononia (Bologna), Bellunum, Brixia (Brescia),

Roma, Venetiae pro nostris Missionibus factitassent, de scripto pulchre dixerunt. Ut unum dumtaxat afferam, parva adolescentium patavinorum manus solita fuit paroecias circumire, diem Missionum actura simul cum populo; hunc porro impigri iuvenes in templum convocare, ad sacram Synaxim certasque preces fundendas cogere; e sacro suggestu alloqui, concinnata a se polite oratiuncula de Missionibus. Neque id satis illi fuit, sed triennii spatio amplius ducentis e suis popularibus suasit, ut ephemeridi *Le Missioni d. C. d. G.* nomen darent; tantum etiam libellorum imaguncularum rerumque id genus copiam vendidit, ut plura quam undecim millia libellarum fecerit; infantes praeterea viginti redemit, aliis triginta baptismum procuravit; quibusdam Patribus, in Missione Mangalorensi versantibus, libros sacro ministerio perutiles et scientiae periodica providit; quibus rebus omnibus addebat, quod caput est, assiduas ad Deum supplicationes et peculiaria virtutum merita.

Ut totus dies iucunda hac Missionum nostrarum cogitatione consumeretur et animi ad colloquia sequentis diei dulci quadam relaxatione magis allicerentur, sub noctem lucidae imagines in scenam theatri proiiciebantur, ardua Missionum et pulcra referentes, quas spectatoribus explicabant unus e Nostris et sacerdos quidam dioecesis Tarvisinae.

Dum haec domi nostrae geruntur, in proximis aedibus, quas diximus, ea invisebantur, quae ex duodecim urbibus officinae missionales persolverant et Venetias ad conventum miserant. Longum est singula persequi; sed hic cerneres vasa sacra, quorum decem et septem maiora erant, Hostiae in summo altari ostendendae fabrefacta; ibi altare viatorium, alibi coenatica instrumenta omne genus, praeter ad parietes et in media aula in longis mensarum ordinibus distributa permulta indumenta sacra et profana, quorum haud pauca acu picta erant, qua arte Venetiae praecipue celebres sunt.

Tandem finis hisce comitiis accommodatus impositus est. Praepositus Provinciae gratias cunctis agens, felicissime peroravit, ut Missionum exterarum Societatis notitia tota Italia latius usque pervulgaretur, missa in omnes partes ephemeride *Le Missioni d. C. d. G.* Pridie vero kalendas septembres, primo mane populus iterum in nostrum templum confluxit, ad sacram Synaxim accessurus; vespere autem, mille inter faces divinam Hostiam in sublimi altaris solio collocatam adoravit per integram horam, verba

de studio Societatis propagandi fidem et nomen Iesu Christi D. N. faciente identidem uno e nostris sacerdotibus.

Haec scripsimus quinque post menses a coacto conventu, et eius fructus haud poenitendos iam legimus. Ut multa alia mittantur, illud tamen non est reticendum tres novas sedes praecipuas operum missionalium pro Societate, multarum minorum quasi matres, constitutas esse, scilicet Bononiae, Neapoli, Panormi; suam enim iam habebant Venetiae et Augusta Taurinorum. Item, numerus ephemeridem *Le Missioni d. C. d. G.* ementium ex triginta circiter millibus crevit per eos menses ad unum et quadraginta millia.

V.

VICARIATUS NANKINENSIS

(PROV. FRANCIAE).

RR. DD. Celsus Costantini, Delegatus Apostolicus in Sinis Concilium Plenarium, primum apud Sinas habitum, in urbe Zi-ka-wei convocavit. Ad gratias Dei in futurum Concilium impetrandas, praeter supplicationes quae in omnibus missionibus praescriptae sunt, triduo beatificationis Roberti Card. Bellarmini, in ecclesia Zi-ka-wei, praesse dignatus est RR. DD. Delegatus. Die enim 11 Maii, a RR. DD. Lécroart, S. I., die vero sequenti a RR. DD. Paris, Vicario Apostolico Missionis nostrae, missa solemniter decantata, solemni pompa sub vespere ad Zi-ka-wei territorii limites exceptus, Em. DD. Delegatus Apostolicus, fideles inter et paganos plurimos a missionariis, seminaristis et alumnis in ecclesiam deducitur ubi, postquam benedictionem SS. Sacramenti impertivit, ad omnes ipse concionatus est; in ecclesia primo, latine (pro fidelibus interpretante P. Firm. Sen, S. I.) de Summi Pontificis erga Sinas benevolentia locutus est; coram Nostris vero, de eiusdem Pontificis in B. Bellarminum fiducia; deinde in Collegio, ubi gallica lingua usus est, verbum fecit de pietate alumnorum in magistros fovenda Summique Pontificis erga paganos Sinenses sollicitudines significavit; in Seminario tandem

ut Sanctae Sedi obedientiam B. Bellarmini imitarentur hortatus est. Die sequenti, idem Em. DD. Delegatus missam pontificalem in honorem B. Bellarmini in ecclesia decantavit.

Ibidem, die 15 maii, episcopis 43 iam adstantibus, Concilium incepit. Ex antiqua Zi-ka-wei ecclesia, omnes Patres ceterique Synodales, paramentis indutis, sacraque processione instituta, ad novam paroeciae ecclesiam, – quae hic fama cathedralis gaudet, – ordine progrediuntur, inter cantus sacros hominumque confertam multitudinem.

Coram populo iam intra fores pressius congesto, quin tamen ultra modum ordini silentiove deficerent, solemnia celebrantur pontificalia. Deinde, psalmis, litaniis et hymno " Veni Creator „ cantatis, Em. DD. Delegatus Apostolicus de Sinensis Ecclesiae historia orationem habuit, quam secuta est omnium fidei professio. Talia fuerunt Primi apud Sinas Plenarii Concilii primordia.

Iam age, his omnibus fine imposito, postquam in Collegio opera, a discipulis hoc anno confecta et quae palam proponebantur, inspexerunt, omnes in residentiam ad convivium Synodalibus et communitati comparatum accesserunt. Sub fine prandii, nomine RR. DD. Paris et Missionis nostrae R. P. Superior omnibus singularum Missionum et Congregationum salutem missionariis dicit, qui, etsi natione et lingua diversissimi, animo tamen caritate Christi coniunctissimo, in Concilio et bono Sinarum promovendo versantur, nostram domum praesentia sua hodie decorant. Benigne salutem accipit Em. DD. Delegatus Apostolicus, qui de " Constantiniana „ liberalitate Patribus Concilii praestita gratias refert. Post meridiem, in theatro collegii S. Ignatii, adstantibus Em. DD. Delegato et Patribus Concilii, scenicis ludis repraesentatur a discipulis Ecclesia Catholica Christo vivens, patiens, triumphans, ipsi demum Sinarum dicans imperium; quod specimen omnium quidem admirationem, immo plurium lacrymas obtinuit.

Quae ad Concilii memoriam notatione digna sunt breviter sic contrahenda videntur:

In *Procura* Missionis (Yang-king-pang) consessus omnes habiti sunt a die 16 ad diem 31 maii. Synodales, in 5 Consiliis congregati, bis, in diebus operi assignatis, deliberationibus vacabant, de regulis generalibus, de personis, de rebus, de negotiorum iam perpensorum recognitione, de quaestionibus ad liturgiam pertinentibus; a die vero 31 mai ad 11 diem iunii, plenarii

locum habuerunt consessus, quos praedicta consilia praeparaverant.

Interea Patres ad festos dies celebrandos pluribus in locis invitati sunt:

18 maii, in Collegio S. Ignatii Zi-ka-wei, coetui antiquorum alumnorum 47 episcopi cum Exc. DD. Delegato adfuerunt;

21 maii, in Collegio B. Canisii (Aurora), in quo cum Exc. DD. Delegato 16 episcopi tantum, propter loci exiguitatem, convenerunt.

22 maii, in Ecclesia Zi-ka-wei, funeralium solemnia pro antecessoribus defunctis a RR. DD. Paris coram Exc. DD. Delegato celebrata sunt; Episcopi 47 aderant.

1 iunii, in Hospitio S. Ioseph (P'ou-yôh-daong), inter christianos et paganos benefactores, aliosque sinenses huius urbis incolas, pluresque militum duces a D. Lôh-pah-hong fundatore convocati sunt.

6, 7, 9 iunii, in Zi-ka-wei, RR. DD. Huarte S. I. sacros ordines quinque sinensibus Seminarii alumnis contulit.

Concilio tandem finis factus solemnis in ecclesia parochiali Societatis in qua solemniter exorsum erat. Missam pontificalem, insecutae sunt caeremoniae Concilio absolvendo propriae cum consecratione totius Sinarum imperii ad Auxilium Christianorum Mariam Matrem gratiae, Caelestem Sinarum reginam (11 iun. 1924);

Die 3 iulii vero Excell. DD. Delegatus, postquam domorum Procuratoribus et Superioribus gratias egit de familiae spiritu in Concilii Patribus excipiendis demonstrato; lectis non sine gaudio narrationibus ad Concilium spectantibus quae sive Protestantes sive pagani in ephemeridibus suis exararunt, praeterea photographicis operibus ad Romam mittendis bene instructus cum Summum Pontificem de toto ordine felicique Concilii Plenarii successu certiorem fecisset, in urbem Peking regressus est.

In urbe Chang-hai bellum civile dolendos fructus in dies produxit uberiores: viri militibus vi mancipantur, mulieres et virgines ad militum libidinem arripiuntur, latrocinia, praeeuntibus ipsis militum ducibus, perpetrantur, ubique incendia domorum, praesertim pauperum, crudelissima vastatio.

Inde profugi, imprimis mulieres et utriusque sexus parvuli et adolescentes, eiusdem familiae membris aliis alio saepe dispersis, undique in urbes, quae sibi tuta videbantur asyla, confluere coeperunt. Quapropter, sub fine huius anni, praeter miseros

qui hospitio vel ab Europaeis vel a missionariis alibi accepti sunt, in urbe Zi-ka-wei domus religiosae tum Societatis Iesu tum Sororum Auxiliatricum mille et quadringentis (1400) circiter tectum, et victum et omnis generis auxilia, suppeditaverunt. Magno utique subsidio fuerunt in tanto opere faciendo utriusque sexus discipuli tum Seminarii et Collegii S. Ignatii, tum Orphanatrophii T'ou-sè-wè, necnon utraque Auxiliatricum Schola et Praesentandinarum novitiatus; abundantes etiam Sinenses et Europaei Chang-hai cives eleemosynas praebuerunt. Interea territorii tutelam contra praedones assumebant omnium exterarum gentium consules, naves, milites, ex quibus turma, a Gallicae classis duce deputata, per duos menses et amplius in Zi-ka-wei morata est.

VI.

MISSIO GOANA

(PROV. LUSITANAE).

Haec Missio non continuo continetur territorio, sed in praesentia tribus constat Collegiis longo spatii intervallo distractis. Belgaense enim Collegium inter orientem ac septentrione situm est ex urbe Goa iter arripientibus; Collegium autem Coccinense tota Missione Mangalorensi aliisque etiam partibus ab illo separatur; Collegium vero et Seminarium Alleypiense quod versus meridiem situm est, non adeo distat a Coccino.

Hae urbes cum ditionis Britannicae sint, Patribus Lusitanis, ex patria eiusque coloniis (Goa) eiectis, omnem laborandi libertatem praebent.

Belgaum urbs pertinet ad archidioecesim Goanam; Coccinum et Allepey ad Coccinensem dioecesim. Quae regiones lusitano patronatui quem dicunt subiectae, hierarchia e multis saeculis ad leges ecclesiasticas instituta et clero saeculari gaudent. Sed ethnici ad fidei lumen adducendi non desunt; nam in Goana archidioecesi pro 2.322,422 incolarum, tantum 326,690 catholici; in Coccinensi vero pro 398,000 (1907) incolarum, 110,000 catholici habentur.

Pauci Patres ineunte anno 1914: 21 sacerdotes (1) scholis trium Collegiorum aliisque sibi impositis curis adeo distinentur, ut ad hoc usque tempus non multum in convertendis ethnicis effecerint; attamen quotannis fere 40 adulti Christi Ecclesiae aggregantur.

Praecipuum vero Missionis opus, ut diximus scholae sunt: Belgaense Collegium 352 alumni (e quibus 34 acatholici) frequentant, Coccinense (anno 1904 nobis ab Episcopo traditum) 576 catholici 397 acatholici, Allepeyense (anno 1908 nobis commissum) 582 catholici 353 acatholici, ita ut numerus omnium Missionis discipulorum ineunte anno 1924 fuerit 2260, ad quos adiungantur oportet 78 pueri qui in schola tamulica belgaensi gratis instituuntur.

Laudatur puerorum pietas, Congregatione B. M. V. et Apostolatu Orationis exculta; Belgai interni fere omnes quotidie, externi omnes saltem semel in mense, quam plurimi saepius, non pauci quotidie ad sacram mensam accedunt.

Praeterea Patres Belgai paroeciam administrant; ex tamulicae gentis hominibus, qui ad illam pertinent, 1050 christiani sunt.

Ne vocationes quidem in hac regione desunt. In praesentia tres Missionis Novitii in tirocinio Shembaganurensi Miss. Madurensis versantur; Pater quidem in eadem domo philosophiae operam navat. Alii duo Novitii iam in Hispania vitae religiosae fundamenta ponunt.

Missionis Superior sedem suam habet in Collegio Belgaensi qua in urbe primum novae Goanae Missionis domicilium erat. Ibi enim ante Patrum Lusitanorum adventum (a. 1890) (2), Patres Missionis Poonensis laboraverant, qui, postquam urbs Belgaum Litteris Apostolicis "Humanae Salutis" anno 1886 archidioecesi Goanae addicta est, hunc campum anno 1890 Patribus Lusitanis reliquerunt.

Convertendis ethnicis novi nunc parantur operarii; in studio linguarum illius regionis, malayalae maxime et tamulicae, diligentem operam ponentes, Dei gratia adiuti, apud illas gentes Christi regnum alacri studio extendent.

(1) Unus ex his studet philosophiae; numerantur praeterea in Missione 6 Scholastici, quorum 5 sunt adhuc Novitii.

(2) *Memorab. S. I.*, (1919), pag. 148.

VII.

MISSIO BENGALENSIS

(Prov. Belgicae).

Archiepiscopus Calcuttensis pie in Domino defunctus.

Die 15 iulii, Massiliae, in suo itinere ad Belgium, pie decessit Reverendissimus Dominus Britius Meuleman, S. I. secundus Archiepiscopus Calcuttensis. Viribus fractus, e medici consilio in patriam pro secunda vice redibat. Antequam Calcutta solveret, cum sentiret se imparem fore oneri, renuntiationem non solum sedi suae sed et episcopatui ad Summum Pontificem misit. Huius renuntiationis acceptatio, die 23 iunii facta, ei Massiliae communicata est et maximo cum gaudio ab eo recepta, dum iam in hospitio decumbens, omnino conscius erat ex cancere in stomacho se non posse nisi per paucas hebdomadas vivere. Speraverat quidem se in Belgio ut simplicem sacerdotem Societatis per aliquot annos aptum fore ad laborem; sed cum perfecta resignatione accepit nuntium imminentis mortis, laetusque obtulit sacrificium vitae suae pro dioecesi cuius bono illam devoverat, consolationemque accepit ex eo quod dioecesis optimum pastorem nacta erat, RR. nempe DD. Ferdinandum Perier, S. I., quem tribus annis antea, Coadiutorem cum iure successionis acceperat. Obiit circumdatus optimis et devotissimis curis tum Patrum Societatis tum praesertim Illustrissimi Episcopi Massiliensis; qui porro, cum renuntiatio non esset facta publici iuris, voluit ut funera, cum omni solemnitate episcopis reservata, celebrarentur. Nuntius mortis dilectissimi Praesulis, Nostris atque populo, magno fuit dolori; exsequiae ubique celebratae sunt; Gubernatores etiam civiles duarum Provinciarum et Gubernator Generalis seu Vice-Rex suae condolentiae testimonia ad RR. DD. Coadiutorem miserunt.

Natus Gandavi 1 martii 1862, Societatem ingressus est 24 septembris 1879 et in Missionem appulit 4 novembris 1886. For-

matione in ipsa Missione recepta, tandem postquam per 16 menses fuerat Superior Missionis, designatus est Archiepiscopus per breve 21 martii 1902. Per 22 annos sui Episcopatus, praecipue incubuit in extensionem Missionis in Chota Nagporensi regione et in parvis statibus independentibus ut Gangpur et Jashpur qui huic regioni finitimi sunt. Nulli labori parcebat in hunc finem, et licet esset timidus et non amaret in cospectu magnatum apparere, attamen quando agebatur de propagando Evangelio et de defendendis missionariis et christianis nullum lapidem non movebat, atque personaliter varios magistratus adibat. Eius energiae debetur creatio cleri indigenae: ipse enim ab initio episcopatus sui animos addidit Patribus ut in Ranchi conderent scholam Apostolicam seu parvum seminarium. Illi qui successerunt, primo in seminarium Kandyense missi sunt ad studia philosophica et theologica facienda; verum crescente numero, ipse statuit aedificare seminarium in Ranchi. Initio anni 1914 seminarium dioecesanum apertum est in domo conducta prope Ranchi in loco dicto Bankuli, at die 1 ianuarii proxime sequentis translatum est in aedes Ranchi paratas. Ipse etiam multum promovit opera socialia pro indigenis, multum ursit constitutionem scholarum instituitque officium Inspectoris dioecesani scholarum. A primo initio sui episcopatus curavit opera promovere pro educatione puellarum, tum e Belgio vocando Sorores Ursulinas, tum omnibus viribus promovendo Congregationem Filiarum Sanctae Annae. Multa etiam conatus est pro educatione puerorum et puellarum Anglorum et Eurasianorum. Saepe seminavit in dolore, alii in gaudio metent.

Novus Archiepiscopus.

Illustrissimus Dominus Ferdinandus Perier, S. I., novus Archiepiscopus iam bene notus erat, quippe qui per octo annos Superior Missionis et per tres annos Coadiutor fuerat. Ubicumque cum summa reverentia et amore receptus fuit. In specie notari possunt variae festivitates in Ranchi celebratae, quibus additum est testimonium Gubernatoris civilis Provinciae Behar et Orissa: qui cum in Ranchi illo tempore resideret, Archiepiscopum invitavit, voluitque illum hospitem habere. Quod cum iustas ob causas recusasset Archiepiscopus, Gubernator illum ad prandium invitatum magno cum honore tractavit coram primoribus magistratibus, publiceque declaravit suam benevolentiam erga Missionem.

Archiepiscopus circa finem anni manifestavit suam intentionem consecrandi dioecesim SS.mo Cordi Iesu 1 ianuarii, hancque consecrationem singulis annis renovandi. Ex unanimi electione Consultorum dioeceseos, in suum Vicarium Generalem elegit sacerdotem saecularem RR. D. Iosephum Fernandes, qui fuerat secretarius praedecessoris eius et anno 1923 factus fuerat Camerarius a secretis Sanctitatis Suae, anno vero 1924 exeunte Praelatus Domesticus.

De quibusdam operibus in Missione.

Notatur magnus scholarum progressus; christiani ipsi magis magisque sentiunt necessitatem educationis. Gubernium etiam magis liberale se praebet subsidiis conferendis. Ceterum schola normalis Ranchensis quae magistros format magno est adiumento. Schola catechistarum in urbe Tongo constituta diligenti institutione per decem continuata menses duodecim catechistas praeparavit; spes maxima habetur plures candidatos fore qui revera ex amore religionis sese devovebunt spirituali bono suorum popularium.

Missiones in statibus independentibus in continuo progressu sunt; praesertim in Gangpur fiunt multae conversiones. In Jashpur maior prudentia requiritur, attamen statio Ambakona quae hucusque a Noadih visitabatur, suum accepit residentem missionarium. Cessavit aperta persecutio. Mortuo regulo, filius eius non fuit admissus ad gubernandum; sed Gubernium Britannicum Statum moderatur; et dum persecutionem Christianorum omnino reprobat, attamen abstinet a positivo favore et licentiam aedificandi recusat.

Mense novembri tres seminaristae indigenae sacerdotio aucti sunt atque statim missi ad varias Stationes Missionis. In fine anni clerus saecularis Archidioeceseos numerat 21 sacerdotes, et praeterea tres sacerdotes indigenae qui variis temporibus admissi sunt in Societatem cum facultate S. Congregationis de Propaganda Fide, in Missione laborant. Novitii vero et scholastici indigenae in domo Shembaganorensi degunt decem.

Mense decembri divisa est magna Statio Katkahi, et fundata nova Statio in Bemerla, in cuius territorio sunt fere duo milia christianorum, et magna spes est incrementi. Tum in Bemerla, tum in Noatoli et Majhatoli notata est hoc anno dispositio ad

christianismum amplectendum in tribu Kariarum, qui suam propriam linguam, etsi permixti vivant cum aliis, praeservant.

In fine anni iterum coepta est evangelizatio Santalorum olim propter penuriem operariorum derelicta, et concredita est primo ex sacerdotibus quos in posterum Provincia Sicula ad nos adiuvandos mittet.

Exercitia spiritualia.

Hoc anno a Patre Adriano Le Tellier magnus datus est impulsus operi Exercitiorum S. P. N. Ignatii. Hic, abhinc paucis annis, cum in Assam versaretur, consueverat hinc inde viros allicere ad vacandum Exercitiis in domum suam in Haflong. Mense aprili 1923, derelicta Missione Assamensi P. Le Tellier missus est in Kurseong ad vires recuperandas. Interea ad Exercitia tradenda in ipsa nostra dioecesi sese praeparabat. Statim ac per vires licuit mense scilicet ianuario 1924, Calcuttam ad Exercitia privatim facienda allicuit et mox in alias civitates vocatus est, in Asansol, in Bankipore, in Khrishnagar, atque in fine anni habebat seriem Exercitiorum iam fixam pro integro anno sequente. Eius methodus est valde popularis, et per familiares finium hominis representationes sensus percellit, quo securius perveniat ad mentes et corda. Omnibus fatentibus, fructus omnino mirabiles ubique produxit.

VII.

DE MISSIONE EXCURRENTE ALBANIENSI

(Prov. Venetae)

Anno 1923-1924.

Albaniensis Missio excurrens seu *volans*, quae dicitur, etiam hoc anno 1923-24 in Albania pro tam indigentis populi emolumento totis viribus adlaboravit. Hac regione, tempore aestivo, veri nominis Missiones haberi nequeunt; cum enim tunc temporis incolae fere omnes agris colendis vacent, quominus plures quotidie horas in ecclesiis suis una adunari possint impediuntur. Duo tamen Patres alternatim in Archidioecesi Dyrrachiensi, illud rogante RR. DD. Mel-

chiori, duos parochos absentes alternatim suffecerunt. Qui quidem duorum mensium labor missionis instar fuit: plerique enim paroeciarum Blay et Derven homines, qui plus anno parocho Sacramentisque caruerant, ad ea accedere hac occasione facile potuere; nostris praeterea concionibus et catechismis (quae multis in paroeciis albaniensibus nimis negliguntur) adultos et pueros ad vitam christianam digniorem licuit revocare. Iidem vero duo Patres idem fecerunt, septembri et octobri mensibus anni 1924 in paroecia Laci, Sappensis Dioecesis.

A mense octobri 1923 ad mensem maii 1924, P. Sereggi cum P. Ferrario catechistam agente, Pater vero Genovizzi Superior cum Fr. Dodaj catechista, missionibus stricte dictis omnes fere montes Dioecesis Sappensis percurrerunt, uti Rev.mus DD. Koletsi, eorum Episcopus, exoptaverat. Labor ingens, utique, qui triginta circiter hebdomadas perduravit, unius tantum mensis intermissa cessatione, quam exigebant densissimae nives hiemales, et summa corporis vires necessitas reficiendi. Hisce quinque hiemalibus mensibus missiones novem dedimus in paroeciis ubi privationes et incommoda inveniuntur; viginti vero alias missiones dedimus variis in pagis 2, 3, 4 aut 5 horarum itinere a paroeciis distantibus, ubi, ecclesiae vel sacelli instar, agrestes casae sunt, plerumque ianua vel fenestris carentes. Ubi vero fenestras reperias, 25 aut 30 centimetros latae sunt et vix paulo altiores; omnes autem vitris orbatae, adeo ut nix, ventus et etiam imber pro libitu ingrediantur. Perperam pavimentum quaeras aut lacunar: nulla sunt; nudos parietes et tectum invenies, illudque non tegulis, sed quadratis lapidibus coopertum, ut ventis, pluviis atque interdum nivibus aperta sit via.

In his veluti speluncis, populus adunatur; ibi Missionis functiones habentur; ibi puellae et pueri inter sex et quindecim annos nati integrum diem nobiscum degunt, ut catechismum et formulas precatorias addiscant. Quem circa meridiem sumpturi sint cibum, secum ferre pueros iubemus, ut nobiscum septem vel octo horas quotidie manere queant, et ita instructionem et Sacramenta apte accipiant.

Iamvero, in nonnullis pagis, neque adest miserum sacellum, de quo sermo fuit; et tunc pietatis exercitia et puerorum instructio in casis incolarum habentur, in stabulo scilicet vix, uti poterat, perpolito aut in quodam cubiculo subobscuro (domos enim aut cubicula more europaeo ipsi non agnoscunt) ubi nos

cum illis praecedente nocte dormivimus. Ibi quaelibet capsa aut mactra ad mensam altaris aptatur, ac homines, mulieres et pueri sardinarum instar premuntur, ut missionum exercitiis intersint: quibus absolutis, catholici isti, quorum animis fides, rudis licet, profunda inest, ut domum redeant duarum triumve horarum itinera aggrediuntur.

Ex dictis facile quisque intelliget Missionarios, paucis exceptis paroecialibus residentiis, una cum pauperibus istis agricolis diversari cibosque sumere debere, ac prout ipsi, in stramine aut foliis hac illac consulto pro nobis collectis, recumbere. In eadem aula, ulla alia deficiente, et missionarii dormiunt, et multi alii, inter quos quandoque parvuli lactentes aut etiam pars pecoris domestici; quod quidem nocturnae saltem quieti nihil omnino confert. Quolibet autem vespere novam domum adeundum nobis est; tum quia ea sunt hospites nostri paupertate ut opibus, quibus nos diutius sustentent, omnino careant, tum etiam quia, ob pietatem suam, mutuo sibi honorem gaudiumque missionarios hospites habendi inter se contendunt.

Missiones nostrae hos inter homines, fere omnes plane rudes mentisque primitivae et pene dixerim homericae, quatuor, sex aut octo solidos dies protrahuntur, pro habitantium numero. In aliquibus locis, cum numerosis Turcarum familiis mixti misere vivunt. Qua rerum conditione quidem mores corrumpuntur, inordinationes multae circa matrimonium gignuntur atque concubinatus et, quod magis dolendum, apostatandi a Fide periculo exponuntur catholici, qui, quando eos ipsi non adimus, semel tantum in anno per unicum diem parochum suum alloquuntur. At vero quid pro eis paucis horis parochus peragere possit? Utinam parochi (saeculares et regulares), veluti boni ac seduli pastores, eos inviserent ac cum ipsis tres aut quattuor dies, bis vel ter in anno manerent! Id autem, pro dolor, cum non raro fieri possit, non fit, nec fieri solet; adeo ut plerique fideles absque Sancto Viatico moriantur. Illud, inter alias causas, quin frequentius a sacerdotibus visitentur impedit, quod nimirum si quis cum his silvicolis omnis munditiae prorsus ignaris conversetur, unaque cum eis somnos capiat, voraces pediculos, die noctuque cruciantes, fugare non poterit. Vix ab his bestiolis post plures dies sacerdotes, missionarii vero post unum alterumve mensem liberari queunt.

Iamvero, ut de harum Missionum fructu in mediis illis gen-

tibus percepto loquar, dicere fas est ingens iis bonum collatum esse, cum omnes iuvenes fidei rudimenta edocerentur, quibus maxime egebant. Huiusmodi vero fructus maximi faciendi sunt, si quidem hac via a fidei apostasia, quae antea, vel in familiis a Sappensi Episcopo dependentibus, non infrequens erat, praeservantur atque in vita christiano more agenda confirmantur. Praeterea illi iuvenes, doctrina christiana satis instructi, apud suos parentes et consanguineos catechistae et magistri partes agunt. Patrum concionibus atque opera, nonnulli concubinatus soluti sunt, plures abusus eradicati qui Sacramentum Matrimonii inquinabant, cum sibi plurimi parentes libertatem arriperent filias vel nolentes nubendi, eisque imponendi non quem virum ipsae vellent, sed qui familiae magis prodesset aut placeret. Qua quidem praxi, a Turcis concivibus derivata, plura matrimonia, ob consensus defectum, invalide contracta sunt. Praeterea plures homines inimicissimi in gratiam publice reconciliati sunt.

En harum reconciliationum exemplum, quae, perpaucis exceptis, aliis quoque in locis 40 saltem vicibus repetitum est:

Turca quidam igneo globulo iniuste senem patrem necaverat cuiusdam pueri tredecim annos nati, qui quotidie cum aliis suis sodalibus ad catechismum addiscendum apud Missionarios plures horas degebat. Plerique omnes pagi incolae ad Sacramentum Poenitentiae iam accesserant. Renuebant tamen huius pueri duo patrui duoque consobrini. Nobis huius rei causam inquirentibus renuntiatum est eos iuravisse morte Turcae occisoris aut unius ex eius propinquis suum consanguineum se esse vendicaturos. Nonnulli autem ex eorum amicis, qui illis suaserant ut Missionem frequentarent, illos ad gravem illam offensam dimittendam, adducere conati frustra sunt. Interea, cum ad confessionem sacramentalem, etiam durante Missione, se ullo modo admitti posse nisi offensa condonata, bene scirent, conscientiae remorsu misere torquebantur. Pater quidem Missionarius ad veniam privatim illos hortatus erat. Vani conatus; gratiae triumphantis nondum advenerat hora. Post duos dies, cum de offensarum remissione et de christiana caritate verbum faceremus, sermone ad finem vergente exhortati sumus, ut nobis mos est, omnes pueros ut culparum quibus parentes aliquoties afflixerint, admissorum veniam ab ipsis peterent. Quod ultra fecere pueri. Parentes vero vicissim respondere: " Ex animo, filii, parcimus vobis „. Deinde Pater populum universum excitavit ad veniam pro

molestiis parocho allatis postulandam; omnesque homines et mulieres una repetere: " Reverende Paroche, dimitte nobis? „ Quibus parochus non solum respondet: " Vobis parco „ sed " Et modo tu, inquit, popule meus, mihi quoque defectus meos remitte „. Postea Pater, Crucifixum Missionis prae manibus semper tenens, ut veniam sibi mutuo peterent atque darent, viros ac mulieres commovit, omnes autem tunc exclamare: " Veniam, veniam! „ At hic quidem Dominus sua gratia odium evicit, in animis eorum qui vindictam avebant: missionarius enim vehementibus verbis, nomina tamen reticens, eos est allocutus, qui necessariam veniam nondum dederant, aeternam innuens perditionem illos manere, qui his sanctis diebus parcere renuerent.

Et ecce nostri adolescentis duo patrui duoque consobrini assurgunt, turbam dimovent atque, ad lacrimas commoti, ad altare accedunt, ubi Missionarius concionatur, atque in genua provoluti, Vulnera et Sanguinem SS. Crucifixi mirantur. Tum Pater illum ipsis praebet eosque interrogat: " Quid Iesu dicere vultis? „ At illi: " Pater, eum nobis ad osculandum praebe „ ac reapse flentes deosculantur illum et: " Tibi, Iesu, aiunt, sanguinem dimittimus, cuius est nobis debitor ille Turca, tuoque amore ille quoque dimittatur! „ Post patruos, consobrini adveniunt iidemque cruci oscula figunt, atque elata voce veniam confirmant; oculis deinde tredecim annorum puerum exquirentes: " Age, Pauline, inquiunt, veni, tu quoque illi parce, qui te orphanum fecit, tibique patrem occidit „. Paulinus, ut patrui eius, illacrimans Crucifixum manibus tangit, et voce tremens: " Parco, parco hodie et in aeternum „.

Non est cur dicam has reconciliationes, pluresque id genus alias similibus caeremoniis peractas, missionariorum totiusque adstantis populi animos mire commovere et ad admirationem impellere erga heroicos istos silvicolas, armis adsuetos, incultos, qui tam generosa facinora exsequuntur. " Sanguinis enim remissio „, idest venia necis eorum quos diligunt, non communem sane generositatem eis inesse declarat, et quam suaviter et fortiter Dei gratia animas eorum alliciat quasi sensibus percipere sinit.

Hoc quidem in qualibet fere missione contigit; publica enim iustitia haereditaria omnino desiderabatur sub Turcarum dominio, quod, per 450 annos prolongatum, etiamnunc infeliciter perdurare fere dici potest cum Albaniense Gubernium adhuc peri-

clitetur ac vi necessaria debitaque forma adhuc careat, qua plurimos abusus impediat ac privata vindicta e medio tollatur. Haec enim ex eo vigorem assumit quod auctoritas saepe desit cui quis recurrere possit, ut contra malefactores et iniustos aggressores defendatur. Ita fit, ut silvicolae nostri ad sibi iustitiam reddendam aliquando moraliter vix non cogantur.

His omnibus patet Missiones Volantes Albanienses non modo huius gentis saluti aeternae utiles immo necessarias esse, verum etiam eas magna efficacitate esse ad suadendum huic populo, qui e Turcarum gubernii barbarie nuper evasit, ut urbaniorem vitam agat moresque hominum et Christianorum consortio gerat digniores.

Huic qualicumque narrationi finem imponere iuvat verba referendo omnium fere Albaniensium qui repetere non cessant, nostris Missionibus Volantibus iure tribuendum esse quod plurimae familiae plurimique pagi, catholici potiusquam musulmani in hac regione nostris diebus inveniantur. De laetis autem fructibus qui his quinque et triginta annis, ex quo Missio Volans existit, producti sunt, soli Deo, bonorum omnium Datori, honor et gloria; nos enim servos inutiles esse libenter profitemur.

VIII.

CONGRESSUS COSMOLOGICUS

(ROMAE, 30 SEPT.–9 OCT. 1924).

Nota. — Ad complementum eorum quae alibi diximus de hoc scientifico conventu (1), exhibemus hic elenchum Patrum qui convenerunt et titulos relationum de quibus in Congressu discussio instituta est.

1. P. Sigismundus Bernhard — *Budapest*, *Hungaria.*
2. P. Iosephus Bolland — *Stonyhurst*, *Anglia.*
   Exp.: De conceptione legis naturae praesertim inter physicos Angliae.

(1) V. supra, pag. 177; cfr. etiam infra, pag. 235 — Si nihil aliud indicatur, Patres ad illam Provinciam pertinent in qua sita est domus unde venerunt.

3. P. Michael Corsi — *Posillipo, Italia.*
4. P. Iosephus M. Dalmau — *Sarriá-Barcelona, Hispania.*
   Exp.: De impossibilitate actionis in distans.
5. P. Ioannes Maria Dario (Prov. Tolos.) — *Florennes, Belgio.*
6. P. Dionysius Dominguez — *Comillas, Hispania.*
   Exp.: De nonnullarum qualitatum secundariarum obiectivitate formali.
7. P. Augustinus Dyla — *Nowy-Sacz, Polonia.*
   Exp.: De tendentia finali in mundo anorganico.
8. P. Michael Egan — *Dublin, Hibernia.*
   Exp.: De geometria non-euclidea.
9. P. Carolus Franck (Prov. Germ. Inf.) — *Valkenburg, Neerlandia.*
   Exp.: An et quonam sensu habeatur in organismis directio processuum physico-chimicorum per principium vitale praestanda.
10. P. Leander Gaia — *Genova, Italia.*
    Exp.: De immutabilitate specierum in utroque regno viventium.
11. P. Aloisius Gatterer — *Innsbruck, Austria.*
    Exp.: De lege naturae statistica.
12. P. Henricus Gauthier (Prov. Franc.) — *Jersey, Anglia.*
    Exp.: De efficentia corporum ut est fundamentum cognitionis adaequatae mundi sensibilis.
13. P. Paulus Geny (Prov. Camp.) — *Roma, Italia.*
    Exp.: Utrum et quatenus doctrina hylemorphica cum recentiorum physicorum placitis componi possit.
14. P. Iosephus Gianfranceschi — *Roma, Italia.*
    Exp.: De constitutione electronica atomorum.
15. P. Carolus O' Hara — *Stonyhurst, Anglia.*
    Exp.: De theoria Relativitatis illiusque conditione praesertim nunc in Anglia.
16. P. Petrus Hoenen — *Oudenbosch, Neerlandia.*
    Exp.: Quaestiones quaedam de continuo.
17. P. Iosephus M. Ibero — *Oña, Hispania.*
    Exp.: De texturis humanis, quae multiplicari in vitro cernuntur.
18. P. Aloisius Jemelka — *Praha, Cechoslovachia.*
    Exp.: De entropia
19. Franciscus Sal. Katzinger — *Innsbruck, Austria.*

20. P. Iosephus Antonius de Laburu — *Oña, Hispania.*
Exp.: De evolutione organismorum. — De origine vitae.
21. P. Nuntius Longhitano (1) — *Acireale, Sicilia.*
22. P. Iosephus Maréchal — *Louvain, Belgium.*
23. P. Raphael Martinez del Campo (Prov. Mex.) — *Roma, Italia.*
24. P. Guido Mattiussi (1) — *Modena, Italia.*
Exp.: Utrum corporea natura essentialibus principiis necessario constet.
25. P. Nicolaus Monaco — *Roma, Italia.*
Exp.: Quodnam continuum agnoscendum sit in corpore quod est unum per se.
26. P. Iulius Monetti — *Chieri, Italia.*
Exp.: De teleologia viventium.
27. P. Antonius Mulder — *Amsterdam, Neerlandia.*
28. P. Emmanuel Pacheco (Prov. Lusit.) — *La Guardia-Pontevedra, Hispania.*
29. P. Iosephus Pérez — *Granada, Hispania.*
30. P. Ferdinandus Pérez-Acosta — *Buenos-Aires, Argentina.*
31. P. Iosephus Augustus Pérez del Pulgar — *Madrid, Hispania.*
Exp.: De momento philosophico theoriae Relativitatis.
32. P. Eduardus Phillips — *Woodstock, Maryland.*
Exp.: I. De structura systematis stellaris praesertim prouti tangit quaestionem de limitata vel illimitata extensione et duratione Universi materialis.
II. De altiore cardinalis numeri genere eiusque extensione.
33. P. Ignatius Puig — *Sarriá-Barcelona, Hispania.*
Exp.: De discontinuitate et unitate materiae.
34. P. Franciscus Sal. Sanc (Vprov. Iugosl.) — *Roma, Italia.*
Exp.: Quid Aristoteles de forma elementorum terrestrium senserit.
35. P. Henricus Schaaf (Prov. Germ. Inf.) — *Roma, Italia.*
Exp.: De extensione principii vitalis in plantis et brutis deque accuratiore his in viventibus secundum recentiorem biologiam conceptu generationis.
36. P. Henricus Sierp — *München, Germania.*

(1) Ob adversam valetudinem venire non potuit.

37. P. A. D. Steele (Prov. Germ. Inf.) — *Walkenburg, Neerlandia.*

Exp.: De numeris irrationalibus in continuo arithmetico.

38. P. Iosephus de Tonquédec — *Paris, Gallia.*

Exp.: De legibus naturae et miraculis: Conceptus legis naturae ex hodierna scientia naturali.

39. P. Iulius de la Vaissière (Prov. Franc.) — *Jersey, Anglia.*

Exp.: Daturne in corporibus inorganicis causalitas efficiens substantialis et quomodo probatur.

40. P. Augustus Valensin — *Lyon, Gallia.*

Exp.: De tempore apud Einstein.

41. P. Ignatius Walker — *Campion Hall Oxford, Anglia.*

Exp.; I. De spatio secundum theoriam Aristotelis et secundum theoriam Relativitatis.

II. De theoria Quantorum.

42. P. Theodorus Wulf (Prov. Germ. Inf.) — *Valkenburg, Neerlandia.*

Exp.: De relatione inter scientias experimentales et philosophiam naturalem.

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

I.

CHRONICON CURIAE SOCIETATIS
ANNO 1924.

Ephemerides.

2 ian. — Advenit in Curiam P. Carolus Bourgeois (Prov. Franc.), qui, ritum russiacum suscepturus, curae fidelium eiusdem ritus in Polonia orientali degentium gerendae destinatus est. Post paucos dies ad Institutum Orientale divertit, unde post aliquot menses in Poloniam proficiscetur.

6 ian. — Hodie Curiae adiungitur P. Alexander Ziemski (Prov. Pol.), P. Stanislao Siemenski mox profecturo sufficiendus.

10 ian. — Proficiscuntur PP. Stanislaus Siemienski et Edmundus Walsh: hic, mandato Pontificis in Russia expleto, in patriam redit, ille ex Polonia iter in Missionem Rhodesianam arripiet.

14 ian. — Ad Summum Pontificem et Patrem Nostrum de rebus in Russia gestis relaturus P. Iulius Roi (Prov. Ven.) in Urbem advenit.

31 ian. — P. Franciscus Sal. Hatheyer, Praepositus Prov. Austriae designatus, Patrem Generalem adit.

13 mart. — P. Petrus Boetto, Procurator Generalis, Brachium S. Francisci Xaverii Panormum in Siciliam deportat.

19 mart. — P. Alexander Ziemski Curiae Minister renuntiatur et postridie P. Ianuarius Pennacchio, qui inter Congregationem Generalem eodem munere functus est, Provinciae Romanae restituitur.

7 apr. — P. Gulielmus Mac Mahon, Substitutus Secretarii pro Assistentia Angliae, iam diu infirma usus valetudine et nunc gravius conflictatus, in Galliam meridianam primum et deinde Londinum abit.

17 apr. — P. Iosephus Boubée (Prov. Tolos.) ad negotia Apostolatus Orationis procuranda in Curia adest eique adnumeratur.

19 apr. — Advenit P. Bernardus Arens (Prov. Germ. Inf.) ad parandam Expositionem Missionariam Vaticanam vocatus.

24 apr. — Nobiscum commoratur P. Gulielmus Hingston (Prov. Can.), Collegii Marianopolitani Loyolaei Rector, gravissimis Collegii negotiis per mensem fere in Urbe retentus.

2 maii. — Ad vires cum diuturno in Curia labore tum recenti morbo confectas recuperandas P. Iulianus Cassiani-Ingoni, Substitutus Secretarii pro Assistentia Italiae, in suam Provinciam Venetam remittitur.

4 maii. — Assistens Hispaniae, P. Iosephus Barrachina, agit quinquagesimum ingressus sui in Societatem anniversarium.

8 maii. — P. Hadrianum Gazzana (Prov. Ven.), Collegii Mediolanensis Rectorem, hospitio recipimus.

16 maii. — Munus Substituti Secretarii pro Assistentia Angliae init P. Hermannus Haeck (Prov. Belg.).

18 maii. — Curiae Patres Fratresque intersumus translationi corporis B. Andreae Bobola ex capella Mathildis aedium Vaticanarum in templum SS. Nominis Iesu (1).

21 maii. — Pater Noster, quo ultimam Epitomes mox imprimendae revisionem tranquillius instituat, Neapolim se confert, ibique usque ad diem 2 iunii commoratur.

22 maii. — P. Iulius Roi in Russiam proficiscitur.

26 iun. — Advenit P. Ioannes Stein (Prov. Neerl.) in Collegio Amstelodamensi physices magister et olim Speculae Vaticanae adiutor, ut res astronomicas in Expositione Missionaria Vaticana paret.

1 iul. — Diuturno in Epitome Instituti Societatis conficienda labore fere completo, P. Antonius M. Arregui in suam Provinciam Castellanam redit.

2 iul. — P. Antonius M. Stravino (Prov. Neap.) Socius Oeconomi Generalis Societatis renuntiatur.

6 iul. — P. Abel Lombardini (Prov. Ven.) Substitutum Secretarii pro Assistentia Italiae agere incipit.

27 iul. — Pater Noster cum P. Iosepho Barrachina Hispaniae Assistente in Hispaniam profecturus nobis valedicit. Primum in Universitate Pontificia Comillensi ad litus maris cantabrici paulisper requiescit, et postea praecipuas domos Societatis in Hispania visitabit (2). — R. P. Assistens Italiae per hoc tempus Vicarii Generalis munere fungitur.

2 aug. — In villam Tusculanam abimus.

14 aug. — Revertitur ex Russia P. Dominicus Piemonte (Prov. Ven.), qui paucis post diebus suam Provinciam repetit.

10 sept. — Advenit novus Substitutus Secretarii pro Assistentia Hispaniae, P. Marius Ciáurriz (Prov. Cast.); P. Nicephorus del Páramo die 15 Urbem relinquit in Provinciam Legionensem rediturus.

19-27 sept. — Exercitia Spiritualia, post quae in Urbem reditur.

26 sept. — Redit ex Russia P. Iulius Roi, qui post mensem suam Provinciam Venetam repetit.

(1) V. supra, pp. 166-167.
(2) V. supra, pp. 177-180.

30 sept.-9 oct. — A Patre Nostro invitati conveniunt in Collegium Germanicum-Hungaricum Professores cosmologiae scientiarumque finitimarum, ut de rebus suis inter se conferant. Adsunt 45 Patres ex Provinciis et Viceprovinciis (1). — Die *8 oct.*, duce congressus Praeside, P. Iosepho Filograssi, Prov. Romanae Praeposito, ad Summum Pontificem admittuntur.

1 oct. — Advenit P. Laurentius O'Keeffe (Prov. Calif.), Praesidis Secretariatus Congregationum Marianarum adiutor futurus.

6 oct. — P. Ioannes B. Gossellin (Prov. Camp.) munus Substituti Secretarii pro Assistentia Galliae init; sed P. Petrus de Champs nobiscum interim manebit donec P. Assistens Galliae a visitatione Missionum mox ineunda redeat.

14 oct. — Hoc mane magno cum gaudio salutamus Patrem Nostrum et P. Assistentem Hispaniae ex itinere reduces.

19 oct. — Pater Noster, febri correptus, fere per mensem lectulo decumbere debet.

21 oct. — P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens, nominatus Visitator Missionis, Syriae, Armeniae, Aegypti, proficiscitur in Galliam et compositis ibidem quibusdam negotiis, Constantinopoli primum et in Syria deinde Visitationem instituet. — In Germaniam redit P. Bernardus Arèns (2).

7 nov. — P. Otto Werner, curator *Act. Rom.* et *Memorab. S. I.*, Curiam relinquit, in suam Austriae Provinciam revocatus. Eius vices hic supplebit P. Subsecretarius, donec novus curator adveniat.

8 nov. — RR. DD. Antoninus Zecchini S. I. (Prov. Ven.) archiepiscopus tit. Myrensis et Delegatus Apostolicus in regione Baltica, apud nos hodie divertit.

17 nov. — P. Iosephus Algué (Prov. Arag.) ex Insulis Philippinis in Urbe adest, res suae Missionis in Expositione Vaticana curaturus; ei adiutor datus est Fr. Martinus Coronas eiusdem Provinciae.

19 nov. — P. Franciscus de Paula Nalbone, Italiae Assistens, chirurgicam incisionem subire debet.

22 nov. — Advenit P. Aloisius Le Grand (Prov. Belg.) ad curandam partem Kwangensem in Expositione Missionaria Vaticana.

16 dec. — P. Caelestinus Testore (Prov. Taur.), de rebus Missionum scriptor, ad Expositionis Missionariae Vaticanae praeparationem adiuvandam eamque foliolis scriptis illustrandam vocatur, post hebdomadam in suam Provinciam reversurus.

16-24 dec. — Pater Noster Spiritualibus Exercitiis dat operam.

19 dec. — P. Iosephus Boubée (Prov. Tolos.) Apostolatus Orationis Moderator generalis delegatus edicitur, et hodie Tolosam petit.

(1) V. supra, pp. 177 et 228–231.
(2) V. supra, pag. 233 (19 apr.).

21 dec. — Expositio Missionaria Vaticana, cui parandae tot Nostri etiam e Curia adlaborarunt, hodie a Summo Pontifice sollemni caeremonia inchoatur.

27 dec. — Adstantibus Patre Nostro et PP. Assistentibus, ab E.mo Card. Caietano Bisleti primus demittitur lapis novae Universitatis Gregorianae.

Catalogus sociorum et officiorum Curiae Societatis Iesu mense septembri 1924.

A. R. P. N.

WLODIMIRUS LEDÒCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS

A DIE XI FEBRUARII MCMXV

Via S. Nicola da Tolentino, 8 — Roma, 30.
(Pro telegram.: Gisa. Roma).

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital., Vicesup. dom.*	Prov. Sic.
P. Rudolphus van Oppenraaij, *Assist. Germ., Admon., Praef. val., Conf. dom.*	,, Neerl.
P. Norbertus de Boynes, *Assist. Gall., Conf. dom.*	,, Franc.
P. Iosephus Barrachina, *Assist. Hisp., Praef. spir., Conf. dom.*	,, Arag.
P. Iosephus Welsby, *Assist. Angl., Conf. dom.*	,, Angl.
P. Aemilius Mattern, *Assist. Amer., Conf. dom.*	,, Neo-Aur.
P. Henricus Carvajal, *Secr. Soc., Cons. dom. an. 4.*	,, Leg.
P. Petrus Boetto, *Proc. Gen., Conf. dom., Cons. dom. an. 2.*	,, Taur.
P. Alfredus Maertens, *Oecon. Gen., Conf. dom.*	,, Belg.
P. Alexander Ziemski, *Min., Proc., Adiut, Secr. Soc., Praef. Sac dom., Cons. dom. an. 1*	,, Pol.
P. Azzolini Hilarius, *Subsecr. Soc., Praef. lect. ad mens.*	,, Ven.
P. Banga Adalbertus, *Praes. Secretariat. Congr. Mar.*	,, Hung.
P. Basterra Petrus, *Cons. aedilic.*	,, Cast.
P. Boubée Iosephus, *Secr. pro Apost. Orat. et Consecr. Famil. SS. C. I.*	,, Tolos.

P. Ciáurriz Marius, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Hisp.* Prov. Cast.
P. Donnelly Thomas, *Subst. Secr .Soc. pro Ass. Amer.* . . . . ,, Missour.
P. Drexel Iosephus, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Germ.* . . . . ,, Austr.
P. Fajella Aurelianus, *Post. Gen. caus. NN. VV. et BB. (in Resid. ad SS. Nom. Iesu, Via degli Astalli, 16, Roma 17)* . . . . . ,, Neap.
P. Goetstouwers Ioannes B., *Archiv.* . . . ,, Belg.
P. Gossellin Ioannes B., *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Gall., Praef. bibl.* . . . . . . ,, Camp.
P. Goulet Eduardus, *Subst. Secr. Soc. pro Mission.* ,, Can. Inf.
P. Haeck Hermannus, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Angl.* . . , ... ,, Belg.
P. Kleiser Alphonsus, *Adiut. Secr. Soc. (Exaten bij Baexem L., Neerlandia)* . . . . . . ,, Germ. Sup.
P. Lombardini Abel, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Ital., Expl. med. et Catech. FF. CC.* . . ,, Ven.
P. O'Keeffe Laurentius, *Adiut. Praes. Secretariat. Congr. Mar.* . . . . ,, Calif.
P. Palermo Lazzarini Dominicus M., *Rev. gen. libr. (in Univ. Greg.)* . . . . ,, Rom.
P. del Portillo Henricus, *Rev. gen. libr.* . . . ,, Tolet.
P. Stravino Antonius, *Adiut. Oecon. Gen., Praes. coll. cas.; Cons. dom. an. 1* . . . . . ,, Neap.
P. Walmesley Hermannus, *Conf. dom. et in t. SS. Nom. Ies.* . . . . ,, Angl.
P. N. N., *Cur. Act. Rom. et Mem. S. I.* , . ,,

COADIUTORES

Baguñá Narcissus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* Prov. Arag.
Banquells Ignatius, *Soc. 1 P. Gen., Aman., Aedit., Excit., Vis. mat. et noct.* . . . . . ,, Arag.
Barlassina Ioannes B., *Sart., Cust. vest. et lint. Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . . ,, Ven.
Beckmann Godefridus, *Soc. Adiut. Secr. Soc. (Exaten)* . . . . ,, Germ. Inf.
Bellon Victor, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . ,, Lugd.
Cremades Zacharias, *Aman., Ian. 2, Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . ,, Arag.
Del Vecchio Vincentius, *Infirm., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . ,, Rom.

Durelli Ioannes, *Adiut. aedit., Ad dom., Soc. exeunt.* Prov. Ven.
Gorostiza Franciscus, *Cust. tricl., Ad dom.* . . ,, Cast.
Herrero Aemilius, *Soc. 2. P. Gen., Aman., Ad dom.* . . . . ,, Leg.
Lampe Maximilianus, *Aman., Soc. Praef. bibl., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . ,, Neerl.
Luján Salvator, *Soc. 2 Oecon. Gen., Ad dom.* . ,, Tolet.
Oteiza Esdras, *Aman., Adiut. infirm., comp. mss. et libr., Tons., Ad dom., Soc. exeunt.* . . ,, Cast.
Otrebski Eugenius, *Soc. Proc. Gen., Aman., Ad dom.* . . . . ,, Pol.
Prieto Iosephus, *Soc. 1 Oecon. Gen., Vis. orat. et exam., Ad dom.* . . . . ,, Leg.
Przewlekly Franciscus, *Cust. pen., Adiut. coq. et cell., Ad dom.* . . . . . . ,, Pol.
Sangalli Iosephus, *Empt., Coq., Cell., Excit* . . ,, Ven.
Sullivan Philippus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* ,, Missour.
Weidinger Ioannes B., *Aman., Ian. 1, Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . ,, Ven.
Westerberger Maximilianus, *Soc. Adiut. Secr .Soc. (Exaten)* . . . . ,, Germ. Sup.

CURIAE ANNUMERANTUR:

P. Calcagno Franciscus Xav., *Par. edit. Inst. recogn.* . . . . Prov. Taur.
P. Cirera Richardus, *Cur. Expos. Mission. Vatic.* ,, Arag.
P. Coemans Augustus, *Par. edit. Inst. recogn.* . ,, Belg.
Arribas Antonius, *Coad., Soc. Cur. Expos. Mission. Vatic.* . . . . ,, Arag.

Sac. 33 — Coad. 21 — Univ. 54.

II.

CAUSAE ET CULTUS SANCTORUM SOCIETATIS

ANNO 1924.

B. Petrus Canisius. — Mense septembri P. Postulator de S. Rituum Congregationis mandato Friburgum Helvetiorum se contulit ut sacri eius corporis recognitioni ab Episcopo instituendae adesset. — Die 21 octobris habita est Congregatio antepraeparatoria de duobus miraculis pro Canonizatione propositis.

B. Andreas Bobola. — De eius translatione alibi diximus (V. supra, pp. 166-167). — Cum de novis miraculis non imprudens rumor spargeretur, petita est reassumptio causae, de qua egit S. Rituum Congregatio die 15 iulii et postridie Summus Pontifex decretum reassumptionis sua manu signare dignatus est. Parantur processus apostolici de miraculis.

VV. Martyres Angliae. — Continuantur processus apostolici in archidioecesibus Westmonasteriensi et Cardiffensi.

Servi Dei Martyres Canadenses. — Die 3 iunii apud S. Rituum Congregationem actum est de validitate processuum, de qua postridie datum est decretum. — Die 18 novembris habita est Congregatio antepraeparatoria de eorundem Servorum Dei martyrio et causa martyrii.

S. D. Paulus Ginhac. — Die 26 februarii apud S. Rituum Congregationem actum est de causae introductione, cuius decretum Summus Pontifex postridie signare dignatus est. Cfr. *Acta Rom.*, vol. V (1924) pp. 19-24.

S. D. Franciscus M. Galluzzi. — Expleto processu de non cultu, omnia documenta processuum ordinariorum opportuniore tempore S. Rituum Congregationi tradentur examinanda.

III.

DE PROVINCIIS ET MISSIONIBUS

NOMINATIONES PONTIFICIAE.

Per decretum die 7 ianuarii 1924 a S. Congregatione de Propaganda Fide dioecesis Poonensis in Indiis Orientalibus RR. DD. Albano Goodier (Prov. Angl.), Archiepiscopo Bombayensi, administranda committitur.

R. P. Antonius Petrus Franciscus van Velsen (Prov. Neerl.), die 21 ianuarii 1924 electus Episcopus titularis Aezanitanus, proximo die 26 ianuarii Vicarius Apostolicus Bataviae in Iava insula renuntiatus est. — Cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. XVI (1924), pp. 101, 131, 161.

Cum die 15 iulii RR. DD. Britius Meuleman, Archiepiscopus Calcuttensis, Massiliae e vivis decessisset (1), RR. DD. Ferdinandus Périer (Prov. Belg.), dimisso titulo episcopali Plataearum quo Coadiutor cum iure successionis huc usque erat, archiepiscopalem Calcuttensem titulum et sedem suscepit.

R. P. Marcellus Renaud (Prov. Mexic.), Visitator apostolicus complurium Dioecesium Brasiliae Centralis renuntiatus, inde a mense maio cum P. Henrico Tavernier (Prov. Mexic.) socio et secretario, munere suo fungi coepit.

NOMINATIONES SUPERIORUM MAIORUM.

26 ian. — R. P. Iosephus Lipski Missionis Rumaenicae (Prov. Pol.) Superior.

11 feb. — R. P. Franciscus Sal. Hatheyer Provinciae Austriae Praepositus.

25 mart. — R. P. Raimundus Lloberola Provinciae Argentino-Chilensis Praepositus.

11 maii. — R. P. Iosephus Piet Provinciae Californiae Praepositus.

2 iun. — R. P. Eduardus Cummings Provinciae Neo-Aureliensis Praepositus.

27 iun. — R. P. Aloisius Boncompain Provinciae Canadae Inferiosis Praepositus.

27 iun. — R. P. Ioannes Filion Viceprovinciae Canadae Superioris Praepositus.

6 iul. — R. P. Ioannes Costa de Beauregard Provinciae Lugdunensis Praepositus.

31 iul. — R. P. Felix Mollat Provinciae Franciae Praepositus.

7 aug. — R. P. Iosephus Demaux-Lagrange Provinciae Tolosanae Praepositus.

15 aug. — R. P. Anacletus Dias Provinciae Lusitanae Praepositus.

15 aug. — R. P. Emmanuel Sánchez-Robles Provinciae Toletanae Praepositus.

15 aug. — R. P. Ioannes Canete Provinciae Baeticae Praepositus.

25 aug. — R. P. Carolus Bert Missionis in Rhodesia Septentrionali inchoatae (Prov. Pol.) Superior.

18 sept. — R. P. Adalbertus Csavossy Provinciae Hungariae Praepositus.

(1) V. supra, pp. 172-173, 220-221.

21 sept. — R. P. Theobaldus Fritz Provinciae Germaniae Superioris Praepositus.

21 sept. — R. P. Aloisius Baecher Missionis Brasiliae Septentrionalis (Prov. Lusit.) Superior.

8 oct. — R. P. Carolus Bourgeois Missionis Orientalis inchoatae (Prov. Pol.) Superior.

15 oct. — R. P. Armandus Poirier Missionis Betsileensis seu de Fianarantsoa (Prov. Camp.) Superior regularis.

6 nov. — R. P. Iacobus M. Kilroy Regionis Novae Angliae (Prov. Maryl.-N. E.) Viceprovincialis.

8 dec. — R. P. Iesus Maria Fernández Provinciae Columbianae Praepositus.

Novae Provinciae.

Die 8 iunii 1924 in festo Pentecostes decernitur divisio Provinciae Canadensis, die 27 iunii in festo SS. Cordis Iesu ad exsecutionem mandanda, in *Provinciam Canadae Inferioris* et *Viceprovinciam Canadae Superioris:* huic attribuuntur fere omnes Missiones Indicae intra Canadense territorium institutae, excepta Missione Iroquensi Caughnawagensi, quae Provinciae Canadae Inferioris assignatur (1).

Ex decreto die 31 iulii Loyolae dato, quod die 15 augusti promulgatum est et exsecutioni mandatum, Provincia Toletana in duas dividitur: *Toletanam et Baeticam.* Huius Praepositus Hispali (Sevilla) residebit, illius manebit Matriti. Provinciae Baeticae Missio Aequatoriana assignatur, Toletana Provincia Missionem Peruvianam retinet (2).

In festo denique Immaculatae Conceptionis B. M. V. Missio Columbiana, per decretum die 9 septembris 1924 dato, a Provincia Castellana seiungitur et in *Provinciam Columbianam* erigitur (3).

Novae Missiones.

Quo Societas saluti catholicorum in regno Rumaeniae degentium, quorum numerus nova rerum europaearum constitutione admodum auctus est, impensius prospicere possit, Pater Noster, decreto die 6 ianuarii 1924 lato, condidit *Missionem Rumaenicam*, quae totum Rumaeniae regnum complectens sub proprio Superiore, interim quidem a Praeposito Provinciae Poloniae pendente, constituitur (4). In prae-

(1) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V (1924), pp. 101–103. — V. etiam supra, p. 176.
(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V (1924), pp. 117–119. — V. etiam supra, p. 176.
(3) Ctr. *Acta Rom.*, vol. V (1924), pp. 119–121. — V. etiam supra, p. 177.
(4) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V (1924), pp. 92–93.

sentia Missio 19 socios (11 PP., 2 Schol., 6 Coad.) et duas domos habet, Residentiam Czernovicensem et Residentiam ac Convictum Szatmarinensem, hanc ad Provinciam Hungariae, illam ad Provinciam Poloniae olim attributam. Eodem decreto quid imprimis praestandum sit Patribus praescribitur: curent Parvum Seminarium aperiendum (vocationes enim frequentes esse in illis terris dicuntur) ut quamprimum gressus fieri possit ad Novitiatum ipsum ibidem instituendum.

Ineunte mense octobri 1924 inchoatur *Missio Orientalis* in dioecesi Podlachiae (Prov. Poloniae), cuius exordia quidem minima et pauperrima sunt, sed non temere speratur mox auctum iri et plurimos fructus allatura esse, ut supra innuimus (1).

Mutatae appellationes Missionum (2).

Vi decreti Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 3 decembris 1924 dati, statutum est ut in posterum:

Vicariatus Apostolicus de Celi-Meridio-Orientali appelletur de *Sien-hsien*;

Vicariatus Apostolicus de Nganhoei appelletur de *Wu-hu*. — Cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. XVII (1925), pp. 24-25.

Visitatio Missionum (3).

P. Franciscus C. Dillon (Prov. Calif.) visitationem instituit Missionis Alaskae a mense iunii 1924.

R. P. Gulielmus Bodkin, Praepositus Prov. Angliae, Missionem Zambesianam eiusdem Provinciae visitat a mense septembri 1924.

Missiones Provinciae Lugdunensis Aegyptiaca, Armenica, Syriaca visitari coeperunt a R. P. Norberto de Boynes, Galliae Assistente, a die 31 octobris 1924.

Domus novae, instauratae, dissolutae, anno 1924.

Ass. Italiae. — In aedificiis Instituti Biblici, *Institutum Orientale*, sic rogante SS. DD. Pio XI, sedem suam habet. — Piazza della Pilotta, 35, Roma, 1.

Provincia Veneta, anno 1922, emit praedium, in quo instituit Domum Exercitiorum, quae aperta est die 10 oct. 1924. In eodem praedio,

(1) V. supra, pag. 175.
(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V (1924), pp. 82-83.
(3) V. supra, pag. 173.

sedes nova parabitur, ut spes est, eiusdem Provinciae tirocinio. — Villa S. Giuseppe, *Bassano Veneto (Vicenza)*.

Eadem Provincia novam Domum Exercitiorum instruxit, SS. Cordi Iesu dicatam. — Villa S. Cuore, *Triuggio* (Milano).

Ass. Germaniae. — Provincia Germaniae Inf. a. 1923 complures novas Stationes aperuit, in urbibus *Hannover, Neurode, Oppeln* singulos operarios collocando, qui ibi experimenti causa laborarent et futuram Residentiam pararent. Idem factum est in Estonia in cuius urbe Tartu (germanice *Dorpat*) Pater aliquis administrat paroeciam ad quam praeterea Walck et Petschori pertinent, hoc prope Russiam, illud prope Lettoniam situm. Fundatio autem omnium maxima et spei plenissima facta est in *Kaunas*, condita Missione Lituana.

In Vicariatu Apostolico Hiroshimensi (Missionis Iaponicae), numero Patrum feliciter aucto, eodem anno quattuor novae Stationes susceptae sunt: *Okayama, Simoneseki, Tottori, Yamaguchi*.

Porro *Vratislaviae* a. 1924 Convictus scholarum superiorum apertus est; initio 60 alumni recepti sunt. — Franz-Ludwig-Konvikt, Domstr. 4, Breslau 9.

Domus Exercitiorum *Waldesruh*, cum ad finem cui inservire debebat parum apta esset nec facile accomodari posset, a. 1924 suppressa est.

Monachii (Prov. Germ. Sup.) autumno 1923 erecta est nova Residentia, permagno illo et splendido templo S. Michaelis sacro Nostrorum curae commisso. Id iam antiquae Societatis fuit, et tunc quidem cum Collegio coniunctum. — Maxburgstr. 11, München C2.

Eadem Provincia exeunte eodem anno aliam novam Residentiam inchoavit *Ravensburgi*, eamque S. Alphonso Rodriguez dicavit. Nostri ibi iuvenum curam gerunt et ad Missiones populares excurrunt. — Herrenstr. 1, Ravensburg (Würtemberg).

Contra suppressa est a. 1924 Residentia *Straubingensis*, cum ex una parte apta domus Nostris deesset, ex altera vero copia cleri minime deficeret.

Denique prope Monachium parari coeptum est Scholasticis philosophis proprium Collegium. Iam antea de magno quodam sanatorio in confinibus ipsius urbis sito ad eundem finem emendo agebatur, sed relicto hoc consilio magna area extra urbem prope *Pullach* empta est.

In Missione autem Brasiliae Meridionalis eidem Provinciae commissa, a. 1923 paroecia *Estrella* (Dioeces. Portoalegren.) clero saeculari tradita est, alia vero assumpta in *Serro Azul* (Dioeces. Uruguayanen.). — Via St. Angelo, Serro Azul (Rio Grande do Sul).

In urbe *Mezökövesd,* Ill.mo Episcopo, clero, populo id efflagitantibus, Provincia Hungariae mense ianuario 1923 sedem fixit ibique inde ab initio duo Nostri cum laeto fructu laborant. — Rendhâz, Borsod megye, Mezökövesd.

Domus et convictus *Satmarinensis* Provinciae Hungariae addicta sunt novae missioni Rumaenicae et sicuti hac Provinciae Poloniae subiecta.

Missionis Iavanae (Prov. Neerl.) pars quaedam, Residentiae *Malang et Soerabaia*, anno 1923 aliis Religiosis traditae sunt : scilicet Malang Patribus Carmelitis antiquae observantiae, Soerabaia Patribus Lazaristis.

Provincia Poloniae duas novas Residentias acquisivit, a. 1918 *Lanciciensem*, a. 1924 *Cracoviensem* alteram, S. Stanislai. In illa quae est propinqua loco natali S. Stanislai Kostka Nostri populo varium auxilium spirituale praebent ac pueros gymnasium oppidi frequentantes in doctrina christiana instituunt. — Ul. Poznánska 13, Leczyca. — In nova autem Residentia Cracoviensi Associatio iuvenum opificum iam a compluribus annis a Nostris cum felicissimo eventu directa propriam tandem et aptam sedem invenit. — Ul. Krupnicza 29, Kraków.

Missio Rhodesiae Septentrionalis eidem Provinciae attributa nova Statione *Brokenhill* a. 1923 aucta est.

Denique eadem Provincia Poloniae duas Missiones europaeas incepit, alteram Rumaenicam intra fines Rumaeniae, alteram Orientalem in ipso Poloniae territorio sitam et convertendis schismaticis destinatam (de quibus vide supra, pag. 241).

Ass. Hispaniae. -- Provincia Toletana, cum ex eius parte provincia nova Baetica constitueretur, ad alium noviciatum, quod esset sibi proprium, antiquum palatium acquisivit et accomodavit, satis prope Madrid situm, unde plures adventuros novitios sperat. — Colegio de San Estanislao, apartado 11, *Aranjuez* (Madrid).

Novitii vero Provinciae Baeticae, domum Granatensem (Granada) relinquentes, in urbem *Puerto de Santa Maria* demigraverunt, in qua antea collegium et convictus habebatur.

In antiqua autem probationis domo quae duarum Provinciarum tironibus communis erat Collegium Maximum sedem habet, ubi ambarum Provinciarum scholastici tum philosophiae tum theologiae disciplinas docentur. — Colegio de San Luis Gonzaga — *Puerto de Santa Maria* — Cádiz.

Multum optabant RR. DD. Episcopus Manizalensis (Columbia), Gubernator Provinciae, et tota civitas, ut Collegii Officialis regimen Societas nostra assumeret. Cui voluntati cum, sociorum inopia, obtemperari non posset, instanter rogaverunt, et obtinuerunt, ut in urbe Residentiam saltem, et in Collegio philosophiae et religionis cathedras Nostri acceptarent. — Jesuitas, *Manizales* (Colombia).

Provincia Lusitana in urbe *Povoa* novam Residentiam erexit, in qua tum sacerdotibus, tum laicis Exercitia spiritualia facile tradi possent. — Rua de S. Sebastiao, 61, Povoa de Varzim.

In Brasilia, *Campaniensis* Residentia dissoluta est.

Ass. Americae. — Facta iam anno praecedente separatione inter Collegium et Scholam Altam (*high school*), quae dicitur, Baltimorensem, sedes Rectoris ad novum Collegium, die 31 iulii, translata est, et regimen Scholae Altae, in antiquo situ retentae, Superiori commissum est. — Loyola Gollege, *Evergreen*, Baltimore, Md.

In Provincia Missouriana, sumptibus Dominae G. H. Backer, insignis benefactricis Societatis nostrae, nova Schola Alta, quae 1000 alumnos continere potest, 50.000 doll. pretio, erecta est, eaque saparata a Collegio Maximo. Haec divisio maiore alumnorum numero exigebatur, et regionis legibus magis congruit. — St. Louis University High School, 4970. Oakland Blvd. — S. Louis (Mo.).

Residentia Populana S. Francisci Xaverii (St. Francis Xavier Church, *Pueblo*, *Colorado*), die 15 augusti, Episcopo tradita est.

Cura paroeciae *Galvestonensis* Episcopo tradita, Residentia S. Mariae (Galveston, Texas), die 21 augusti, relicta est.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE
INEUNTE ANNO 1925

Assistentiae	Provinciae et Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum Sac.	Augmentum Schol.	Augmentum Coad.	Augmentum Univ.
Italiae	Romana	186	105	85	376	1	7	7	15
	Neapolitana	106	79	65	250	- 2	- 1	1	- 2
	Sicula	112	58	79	249	3	1	4	8
	Taurinensis	170	63	55	288	- 4	- 1	1	- 4
	Veneta	225	78	131	434	3	- 1	5	7
	Socii Assist. Italiae	**799**	**383**	**415**	**1597**	**1**	**5**	**18**	**24**
Germaniae	Austriae [1]	196	70	99	365	- 12	- 3	1	- 14
	Cechoslovaca (Vicepr.) [1]	96	56	59	211	13	3	1	17
	Germaniae Inferioris	377	225	177	779	10	15	10	35
	Germaniae Superioris	368	156	177	701	2	3	15	20
	Hungariae	87	75	58	220	- 1	8	2	9
	Iugoslaviae (Vicepr.)	65	31	53	149	3	2	5	10
	Neerlandica	305	155	122	582	1	5	- 1	5
	Poloniae	230	162	184	576	1	36	11	48
	Socii Assist. Germaniae	**1724**	**930**	**929**	**3583**	**17**	**69**	**44**	**130**
Galliae	Campaniae	448	196	113	757	6	12	—	18
	Franciae	428	151	137	716	- 4	- 2	- 5	- 11
	Lugdunensis	406	137	155	698	6	- 5	—	1
	Tolosana	413	156	127	696	- 5	11	—	6
	Socii Assist. Galliae	**1695**	**640**	**532**	**2867**	**3**	**16**	**- 5**	**14**
Hispaniae	Aragoniae	393	257	327	977	3	3	- 2	4
	Argentino-Chilensis	164	130	135	429	- 2	16	- 3	11
	Baetica [2]	168	112	103	383	168	112	103	383
	Castellana [3]	334	233	259	826	- 82	- 71	-114	- 267
	Columbiana [3]	93	102	111	306	93	102	111	306
	Legionensis	238	189	188	615	4	8	4	16
	Lusitana [2]	176	84	115	375	2	8	2	12
	Mexicana	191	71	79	341	5	—	—	5
	Toletana [2]	121	105	121	347	-172	-108	-104	- 384
	Socii Assist. Hispaniae	**1878**	**1283**	**1438**	**4599**	**19**	**70**	**- 3**	**86**
Angliae	Angliae	459	220	128	807	2	13	4	19
	Belgica	731	453	187	1371	—	23	- 3	20
	Canadae Inferioris	150	174	104	428	9	5	—	14
	Canadae Sup. (Vicepr.) [4]	3[illegible]	80	18	137				
	Hiberniae	237	169	64	470	7	16	2	25
	Socii Assist. Angliae	**1616**	**1096**	**501**	**3213**	**18**	**57**	**3**	**78**
Americae	Californiae	226	198	100	524	6	3	—	9
	Marylandiae-Neo Ebor.	513	657	129	1299	23	28	—	51
	Missouriana	532	465	174	1171	16	34	9	59
	Neo Aurelianensis	176	106	41	323	4	4	- 1	7
	Socii Assist. Americae	**1447**	**1426**	**444**	**3317**	**49**	**69**	**8**	**126**
	Universi ineunte a. 1925	**9159**	**5758**	**4259**	**19176**	**107**	**286**	**65**	**458**
	" " " *1924*	9052	5472	4194	18718				
	Augmentum	**107**	**286**	**65**	**458**				

1 Socii 15 (12 PP. et 13 Sch.) ex Prov. Austriae in Viceprov. Cechoslovacam transcripti sunt.
2 Die 15 aug. 1924, Prov. Toletana in duas divisa est: Toletanam et Baeticam.
3 Die 8 dec. 1924, Missio Columbiana, a Prov. Castellana separata, in Provinciam erecta est.
4 Die 27 iunii 1924, Prov. Canadensis divisa est in Prov. Canadae Inferioris et Viceprov. Canadae Superioris.

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU
INEUNTE ANNO 1925

MISSIONES (1)		PROVINCIAE	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
IN EUROPA						
Albania		Veneta	**18**	**2**	**16**	**36**
IN ASIA						
Armenia		Lugdunensis	4	—	2	6
Ceylon:	*Gallensis*	Belgica	22	7	5	34
"	*Trincomaliensis*	Campaniae	17	2	5	24
India:	*Bombayensis-Poonensis*	Aragoniae	69	23	27	119
"	*Calcuttensis*	Belgica	177	62	25	264
"	*Goana*	Lusitana	21	4	4	29
"	*Mangalorensis*	Veneta	54	17	17	88
"	*Patnensis*	Missouriana	11	—	—	11
"	*Trichinopolitana*	Tolosana	155	66	42	263
Iaponia:	*Univ. Tokyo, Hiroshima*	Germ. Inf.	22	—	2	24
Malesia:	*Bataviae*	Neerlandica	61	18	10	89
Philippinae:	*Mindanao*	Aragoniae	39	—	26	65
Sinae:	*Ankingensis*	Legionensis	20	—	6	26
"	*Cantonensis*	Lusitana	12	1	2	15
"	*Hwaisensis*	Taurinensis	20	—	4	24
"	*Nankinensis*	Franciae	124	14	35	173
"	*Sien-ksien*	Campaniae	62	12	19	93
"	*Wu-hu*	Castellana	25	—	5	30
Syria		Lugdunensis	85	31	42	158
		Universi	**1000**	**257**	**278**	**1535**
IN AFRICA						
Aegyptus		Lugdunensis	31	—	12	43
Africa Merid.:	*Zambesiana:*					
"	*Coloniae Capitis*	Angliae	17	1	10	28
"	*Rhodesiae Merid.*	Angliae	44	—	26	70
"	*Rhodesiae Septentr.*	Poloniae	9	—	9	18
Congo:	*Kwangensis*	Belgica	46	19	16	81
Madagascar:	*Fianarantsoa*	Campaniae	40	2	10	52
"	*Maurice et Réunion*	Tolosana	9	1	3	13
"	*Tananarivensis*	Tolosana	52	2	11	65
		Universi	**248**	**25**	**97**	**370**
IN AMERICA						
Inter aborigenes:	*Alaskana*	Californiae	19	—	10	29
"	*Caughnawagensis* [2]	Canad. inf.	2	—	3	5
"	*Dakotae Meridion.*	Missouriana	12	3	21	36
"	*Indicae Canad.* [2]	Canad. Sup.	17	2	10	29
"	*Montium Saxos.*	Californiae	19	—	11	30
"	*Tarahumarensis*	Mexicana	12	1	13	26
Guiana Britann.		Angliae	19	—	—	19
Honduras Britann.		Missouriana	22	5	4	31
Iamaica		Maryl.-Neo E.	20	3	2	25
		Universi	**142**	**14**	**74**	**230**
IN OCEANIA						
Carolinae, Marianae et Marshall		Hispanicae	**14**	—	**15**	**29**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1925			**1422**	**298**	**480**	**2200**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1924			1341	261	459	2061
Augmentum			**81**	**37**	**21**	**139**

1 Nomina quarundam Missionum melius aptata sunt denominationibus a Sancta Sede adhibitis.
2 Divisa Provincia Canadensi, utrique parti propria Missio attributa est.

NUMERUS NOVITIORUM SOCIETATIS

INEUNTE ANNO 1925

	PP.	Schol.	Coad.	Univ.
Prov. Romana (M. Bras. Cent.: 1 P., 11 S., 2 C.)	4	34	10	48
„ Neapolitana	—	21	8	29
„ Sicula	—	19	12	31
„ Taurinensis	—	8	7	15
„ Veneta (Miss. Mang.: 2 P., 2 S., 1 C.)	9	19	19	47
Ass. Italiae	**13**	**101**	**56**	**170**
Prov. Austriae	1	19	9	29
V. Pr. Cechoslovaca	1	20	6	26
Prov. Germaniae Inf.	6	44	18	68
„ Germaniae Sup. (M. Bras.: 1 P., 7 S., 6 C.)	6	47	24	77
„ Hungariae	2	18	6	26
V. Pr. Iugoslaviae	4	5	10	19
Prov. Neerlandica (Miss. Batav.: 3 S.)	1	27	4	32
„ Poloniae (Miss. Rumaenica: 6 S.)	1	28	16	45
Ass. Germaniae	**21**	**208**	**93**	**322**
Prov. Campaniae (Miss. Sienhs.: 11 S., 2 C.)	1	50	7	58
„ Franciae (Miss. Nank.: 1 S., 1 C.)	—	27	5	32
„ Lugdunensis	1	30	8	39
„ Tolosana	3	45	15	63
Ass. Galliae	**5**	**159**	**35**	**192**
Prov. Aragoniae (Miss. Bomb.: 2 S.) (Miss. Phil.: 2 C.)	8	36	14	58
„ Argentino-Chil. (Chile: 18 S., 2 C.)	—	34	10	44
„ Baetica (Miss. Aequat.: 4 S., 2 C.)	3	19	13	35
„ Castellana	—	57	52	109
„ Columbiana	—	36	11	47
„ Legionensis	2	45	26	73
„ Lusitana (Miss. Goan.: 3 S.)	—	25	9	34
„ Mexicana	1	16	4	21
„ Toletana (Miss. Peruv.: 1 S.)	3	16	5	24
Ass. Hispaniae	**17**	**284**	**144**	**445**
Prov. Angliae	—	50	11	61
„ Belgica (Miss. Beng.: 7 S.)	—	99	11	110
„ Canadensis infer.	—	36	7	43
V. Pr. Canadensis super.	—	24	1	25
Prov. Hiberniae (Miss. Austral.: 12 S., 1 C.)	—	60	6	66
Ass. Angliae	**—**	**279**	**26**	**305**
Prov. Californiae	—	33	7	40
„ Maryland.-Neo Eb.	3	82	3	88
„ Missouriana (Miss. Pat.: 2 S., 1 C.)	—	108	14	122
„ Neo Aurelianensis	—	32	1	33
V. Pr. Novae-Angliae	—	61	3	64
Ass. Americae	**3**	**316**	**28**	**347**

NUMERUS NOVITIORUM SOCIETATIS

INEUNTE ANNO 1925

	PP.	Scholastici	Coadiutor.	Universi
Ass. Italiae	13	101	56	170
„ Germaniae	21	208	93	322
„ Galliae	5	152	35	192
„ Hispaniae	17	284	144	445
„ Angliae	—	279	26	305
„ Americae	3	316	28	347
Summa . .	**59**	**1340**	**382**	**1780**
Anno 1924. . .	**62**	**1327**	**393**	**1782**

NUMERUS CONGREGATIONUM B. M. V. PRIMAE PRIMARIAE ROMANAE AGGREGATARUM (1564–1924).

	Annis 1564-1912	Annis 1913-1921	Anno 1922	Anno 1923	Anno 1924	Summa
EUROPA						
Anglia	1025	188	29	18	15	1275
Austria	2127	1214	66	75	74	3556
Belgium	2198	215	22	17	18	4470
Cechoslovachia	—	64	46	43	28	181
Gallia	10755	462	48	55	46	11366
Germania	4834	2912	271	183	180	8380
Helvetia	488	336	22	47	34	927
Hibernia	426	76	11	16	10	539
Hispania	1379	375	82	27	19	1882
Hungaria	380	213	34	29	40	696
Italia	2856	322	44	27	31	3280
Iugoslavia	—	54	26	13	25	118
Lusitania	211	121	18	18	25	393
Neerlandia	505	210	26	49	47	837
Polonia	—	121	45	61	86	313
Rumaenia	—	—	—	—	3	3
Varia loca	165	64	8	8	4	249
Summa	27349	6947	798	686	685	36465
ASIA						
India	278	89	33	23	52	475
Philippinae	99	16	3	—	2	120
Sinae	—	—	—	4	1	5
Varia loca	179	51	—	7	4	241
Summa	556	156	36	34	59	841
AFRICA						
Varia loca	240	104	21	52	36	453
AMERICA						
Argentina	144	53	3	2	5	207
Brasilia	93	79	10	11	28	221
Canada	653	166	34	31	20	904
Chilum	—	66	9	10	8	93
Columbia	77	29	—	—	3	109
Mexicum	251	75	10	6	7	349
Status Foederati	5247	1644	122	196	381	7590
Varia loca	327	101	19	24	6	477
Summa	6792	2213	207	280	458	9950
AUSTRALIA						
Varia loca	315	81	58	15	10	479
Summa totalis	**35252**	**9501**	**1120**	**1067**	**1248**	**48188**

CATALOGUS
DEFUNCTORUM IN SOCIETATE IESU
